epigrāma de Caludio claudicante quidā dixit nō audirat, sed clodicat. veteres olim Clodiū pro Claudio dicebāt, hinc locus in eū, qui Cladio faciebat
Apoph. fol. 483. nūō 26.

I

Bonciarius.

INTRODVCTIONIS AD ARTEM RHETORICAM LIBRI II.

EX ... RONE POTISSIMVM DEPRŌPTI

AD PVERORVM VSVM ACCOMMODATI

SVPERIOR. PERMISSV.



PERVSIÆ APVD HÆREDES ANDREÆ BRIXIANI CIƆ IƆ IIIIC.

M. ANTONIVS
BONCIARIVS.

NEAPOLIONI
COMITOLO EPISCOPO
PERVSINO. S.P.D.

CONFECI ex M. Tullio rhetoricam Introductionem, te iubente, multis hortantibus, nõnullis etiam dehortantibus. Ita res est Pater: quidam homines eruditi, atq; amantes mei conantur mihi persuadere, vt tan- aliquando abijciam hæc studia pue- -loctrinarum, & graue aliquid, -ile in lucem proferam. Qui me -on mouent; tantum respondeo, -rauia, quæ ipsi dictitant medi-

tanda, & diuulganda, duas res mihi
deeſſe maxime neceſſarias, Eruditionē,
& Ambitionem: quarum illa penes me
nunquam fuit, hæc vero penitus me
deſeruit. quid autem magnum aut præ-
clarum ſine talibus adminiculis effi-
cere, aut conari poſſum? Vos potius, vos
inquam, quibus neutrum deeſt, huiuſ-
modi aliquid laborate, atq; in lucem
date. Quid quæris? iam minus minusq́;
mihi moleſti ſunt. Ego uero maneo in
ſententia: omiſsisque ſtudijs grauiori-
bus, ad quæ ſuſtinenda me parem eſſe
non ſentio, tironibus pueris, quantum
mea tenuitas fert, iter expedio, & viā
munio ad latinas Muſas. Quem
conatum, quia tu Pater Reuer
me, Vir omni litterarum vari
natiſsimus, & in omni iudici
tiſsimus non contemnis, ego

periundo bonum, atque utilem esse comperior: pergam strenue, neq; cuiusquã dissuasionibus a suscepto consilio deterrebor. Huc accedit quod ratio ipsa nostri Collegij me cogit in hanc curam totum incumbere, ut nostris contubernalibus artes istæ humiliores, quam planißime, & quam breuißime fieri possit explicentur. Propterea quod mittuntur ad nos pueri, qui vix primis Grammaticæ rudimentis imbuti sunt; certe in re latina nullum progressum habent: & mittuntur a suis Parentibus, aut cognatis eo consilio, ut per trienniũ aut non multo amplius conficiant hũc quasi orbem atq; curriculum artium humaniorum. Per quod spatium nobis necesse est Grammaticam, Rhetoricam Poeticam, Historiam, præterea cum latinis Græcas Etruscasq; litteras

interpretari. Neque est quod speremus vllam temporis prorogationem ab ipsis puerorum patribus impetrare; vnā dieculam non adderent ad illud spatium quod initio fuit dictum, ac præfinitum. Ergo ne pueri omnino rudes illarum artium a nobis discederent: oportuit me quodammodo artes ipsas facere breuiores, & quam vim hominibus afferre non potui, eam ipsis disciplinis afferre haud adeo renitentibus: quas quidem ob eam causam conati sumus hoc modo in angustum redigere, & ad rationem, atque mensuram concessi temporis accommodare. Quod si qui tamen diutius apud nos manserint, vt se nonnulli mansuros putant; ego, vt vere dicam, non puto: tamen si qui forte profectionem suam vsque eo differre poterunt, dum etiam Ciceroni, &

Aristoteli operam impendant; ij vero duplicem fructũ ex nostro libello capiẽt. Nam ingredientibus ad magnos illos atq; antiquos Rhetoras, Introductoris loco erit; egressis autem Monitoris: & vt primo ad intelligendum, sic postea ad recordandum erit accommodatus propter facilitatem, & breuitatem. Vale Præsul amabilissime: & Collegium S. Bernardi a te proxime institutum; haud scio maiore ne cum tua dignitate, & gloria, an communi totius Ciuitatis atq; Prouinciæ vtilitate, in dies magis colendum, atq; augendum tibi propone.

Kal. Ian. CIƆ.IƆ. XCVI.

INTRODVCTIONIS
AD ARTEM
RHETORICAM
LIBER PRIMVS.
ARGVMENTVM.

IN Primo libro poſt definitionem, ac diuiſionem Rhetorices, initium præcipiendi ſumitur ab Elocutione, maxima & præcipua parte officij oratorij. Ea tribus ex rebus conſtat, Elegantia, Compoſitione, Dignitate. Elegantia tota pertinet ad congruenter atq. emendate loquendum; ideoq. reijcitur ad Grammaticos. Compoſitio tres habet partes, Iuncturam Ordinem, Numerum. Iunctura cernitur in apta vocum collocatione: Ordo, rerum nobilitatem aut ignobilitatem conſiderat, & vnicuiq. ſuum

locum attribuit: Numerus, quadam syllabarum & pedum dimensione iucũdã facit Orationem. atq. hic cum præcipue spectetur in clausulis periodorum: de hac parte vberius disputatur. Dignitas, id est pulchritudo orationis, comparatur ex tropis atque figuris. Tropi sunt octo: quatuor versantur in mutatione vnius verbi, quatuor in mutatione orationis. Figuræ sunt quadraginta; quindecim verborum, vigintiquinque sententiarum. Sed figuræ verborum duum generum sunt: nam priores octo Repetitionis, reliquæ septem Similitudinis figuræ appellantur. Etiam figuræ sententiarum in duo genera distributæ sunt: nam primæ duodecim pertinẽt maxime ad affectus commouendos; reliquæ tredecim magis ad dilatandam atq. amplificandam orationem.

QVID SIT RHETORICA QVID ORATOR QVOD EIVS OFFICIVM ET FINIS.

CAP. PRIMVM.

RHETORICA est ars benedicendi. Ars est quæ dat rationes certas, & præcepta rerum efficiendarum. Benedicere, est lectissimis verbis, optimisq; sententijs dicere. Cum qua facultate si quis vitæ integritatem coniunctam habeat, Orator dicitur; si non habeat, Sophista. Est enim Orator, vt Catoni placuit, Vir bonus dicendi peritus. Oratoris officium est, de quacunque re sibi proposita, dicere ad persuadendum accommodate. Hoc tribus rebus efficitur, aut conciliando, aut docendo, aut permouendo. Harum autem trium partium, prima lenitatem orationis, secunda acumẽ, tertia vim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis assensurus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut argumentis adducatur, aut permotione cogatur: sed vnum ex his tribus præ nobis est ferendum

dum

dum, ut nihil aliud, nisi docere velle videamur. Finis autem Oratoris est persuasio. Vt enim Gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria; sic ei qui dicit, nihil aliud propositum est, nisi vt Auditores in suam sententiam perducat.

NOTAE.

ORATOR est Vir bonus &c. Qui negant Oratorem debere esse virum bonum, ii negent etiam finem ipsius esse persuasionem, quia probitas dicentis nimium valet ad persuadendū, plus adeo quam facundia. Quod & summi Oratores fatentur Aristoteles, Cicero, Quintilianus, & docet ipsa experientia. non enim possumus inducere animum vt credamus ei, præsertim de rebus grauibus differenti, quem virum bonum esse non putamus. ante mores suos probet nobis oportet, qui orationem probare contendit. Respuimus etiam bona, si a prauis hominibus accipiēda sint: immo sic opinamur, non posse quidquam boni venire ab eo, qui sit ipse non bonus. Hoc si cui fortè non persuadeo, tamen mihi in præsens concedi postulo, vt puerorum mētes imbuantur ea opinione quæ verissima est. Hanc dicendi scientiam, cum probitate, et pietate coniungendam esse. Nec enim est aliud eloquentia „ quam copiose loquens sapientia.

De partibus Rhetoricæ. *Cap. 2.*

PArtes, & quasi membra eloquentiæ sunt quinque, Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. Inuentio est excogitatio rerū verarum aut verisimilium quæ causam probabilē reddant. Dispositio est ordo, seu distributio rerū quæ demōstrat quid quoque loco collocandum sit. Elocutio est

oratio-

orationis exornandæ ratio, vel eſt idoneorum verborum & ſententiarum ad res inuentas accommodatio: Memoria eſt rerum perceptarum fida cuſtos, atque theſaurus Eloquentiæ. Pronunciatio eſt vocis vultus, geſtus, moderatio cum venuſtate. At ex tribus prioribus, Inuentio fere tota eſt ingenij, Diſpoſitio iudicij, Elocutio ſola artis, & diſciplinæ: reliquæ duæ natura magis, quam arte conſtant. Sed in omnibus exercitatio valet plurimum: quæ ſi abſit; vanæ omnes Rhetorum præceptiones putandæ ſunt. Iam quia Elocutio non ordine, neque natura ſed dignitate, neceſsitate, facilitate ceteris partibus longe præſtat: ab ea initium docendi fecimus. Deinceps reliquas ordine perſequemur.

NOTAE.

MOVIT me in primis utilitatis ac facilitatis ratio, ut in tractandis Rhetoricæ partibus mutarem ordinem, & a vulgata conſuetudine nonnihil recederem. Cum enim puer nunc primum a Grammatico ad Rhetorem tranſeat, nullus facilior aut expeditior traiectus datur, quam ſi ab illa, vt ita dicam, nuda, & ſimplici latinitate, ad ornandi, atque amplificandi rationem traducatur, dico a ſintaxi ad fraſin, & a dictionum conſtructione ad earundem expolitionem, & dignitatem. Vt enim Pictores primo adumbrant, atq; delineant ſimulacra earum rerum, quas repræſentare volunt; deinde aptos cuiq; parti colores adhibent: ita pueri a Grammaticis diſcunt ſermonem purum, proprium, & dumtaxat a barbariſmis ac ſolœciſmis vindicatum: apud Rhetorem vero eundem expoliunt, & quaſi veſtiunt, atque depingunt adhibitis verborũ ſententiarumque exornationibus, quæ propter eam cauſam a Græcis ſchemata, ideſt veſtes, a Latinis vero colores appellantur. Interiecto autem tempore cum & pueri omnes exor-

nationes

nationes, coloresque percurrerint,& plusculum eruditionis, atq; iudicii adepti fuerint; ad illas difficiliores Rhetoricæ partes multo instructiores, paratioresque accedere poterunt. neque quidquam impediet, immò necessarium esse duco, post cognitam rationem inueniendi, & disponendi, recognoscere, quæ antea de Elocutione leuius præcepta fuerint. Quod si quis nihilominus vulgatum docendi morem sequi maluerit, & Inuentionem, Dispositionemque, Elocutioni præponere; nos totam dicendi rationem ita distribuimus,vt nihil intersit a primo ne,an ab altero libro initium docendi fiat.

De Elocutione maxima, & potissima parte Rhetorices Cap. 3.

ELOCVTIO oratoria tres res debet habere, Elegantiam, Compositionem, Dignitatem. Elegantia facit vt vnumquodque pure, & aperte dici videatur, Compositio vt distincte, Dignitas vt ornate. Elegantia distribuitur in Latinitatem, & Explanationem. Latinitas est, quæ sermonem purum conseruat ab omni vitio remotum. Vitia in latina oratione duo esse possunt, Soloecismus, & Barbarismus. Solœcismus est, cum oratio consequens non accommodatur ad superiorem, sed aliquo modo discrepat contra consuetudinem seculi melioris, vt lu uo tibi, Supplico te, Vtor opes & vires tuas. Quæ quomodo cauere oporteat in arte Grammatica discendum est. Barbarismus est cum vox aliqua male pronunciatur aut male scribitur: Quo in genere peccant ij, qui propter ignorationem prosodiæ peruertunt

sylla-

ſyllabarum quantitatem, dum aut longas corripiunt aut producunt breues. Peccant etiam per hoc vitium, qui litteras in ſcribendo omittunt, aut adijciunt, aut pingunt redundantes, quod ad Orthographiam pertinet. Explanatio eſt, quæ reddit apertam, & dilucidam orationem: Ea comparatur duabus rebus, Vſitatis verbis, & Propriis: Vſitata ſunt ea, quæ verſantur in ſermone, & conſuetudine quotidiana: Propria, quæ cum re ipſa, de qua loquimur, nata eſſe videntur; non aliunde accita neque translata.

De Compoſitione Caput 4.

Compoſitio eſt apta, & concinna verborum collocatio. Ea tres habet partes, Iuncturam, Ordinem, Numerum. Iunctura eſt, per quam leniter fluit, & nuſquam claudicat, nuſquam offendit oratio. Hæc conſeruabitur, ſi fugiantur crebræ vocalium concurſiones, & litterarum ſeu dictionum, odioſæ, aſperæ, inconcinnæ coitiones, aut repetitiones: in quibus maximè iudicio aurium vti debemus. ſed aures eruditas eſſe oportet, & frequenti ſimul, atque accurata veterum Oratorum lectione conformatas. Ordo poſtulat, vt quæ priora atque nobiliora ſunt, prius ponantur. Itaque Cælum ac Terram: Ortum & Occaſum: Diem ac Noctem: Viros & Feminas potius dixerim, quam e conuerſo. Numerus eſt certa pedum dimenſio, atque conglutinatio, ad

voluptatem aurium comparata. docet autem natura esse quosdam cursus conclusionesque verborum, quæ una opera delectationem afferunt audientibus, & orationi grauitatem maiestatemq; conciliant. Neque enim Demosthenes(ut ait Fabius) fulmina tantopere vibrasse diceretur, nisi numeris contorta ferrentur. Sed hic numerus, cum in singulis periodis adhibendus sit, ante de Periodo eiusque partibus nonnihil dicendum est.

De Periodo, Colo, & Commate Caput 5.

PEriodus est oratio, quæ pluribus membris inter se cohærentibus, plenam absolutamque, sententiam complectitur: vt, Quamquam mihi semper frequens conspectus uester multo iucundissimus; hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. Colon seu Membrum est Periodi pars, quæ perfecte quidem aliquid significat, sed orationis quasi gyrum, non complet, & suspendit potius quam absoluat sententiam: vt, Et si uereor, Iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere:

Comma siue Incisum, est pars membri, ex uno, aut pluribus verbis constans, quæ nihil perfecte signi-

ficat

ficat, sed tantũmodo inchoat sententiam: vt, Quod erat optandum maxime, Iudices, Periodus ex duobus saltem membris conflatur. Nam si ex vno sit, Membrum dicitur, licet sententiam penitus absoluat; Membrum quoque si breuius fuerit, Incisum siue Articulus nominatur.

NOTAE.

PLENA, & perfecta Periodus ex M. Tullio in Oratore, quatuor fere membris absoluitur, raro pluribus, non raro paucioribus. Periodis non semper omnibus locis vtimur, sed, vt Quintilianus docet, in prooemiis potissimum, in laudationibus, vituperationibus, amplificationibus. Nam in deliberationibus, & iudiciis, cum aut docendus est Auditor, aut Iudex incitandus, aut aliquid vehementius contendendum magna ex parte cæsim, atque membratim; raro per ambitus longiores explicatur oratio. In Epistolis vero familiaribus (nam epistolæ interdum grauia tractant argumenta) in dialogis, in philosophorum disputationibus, in quarumuis rerum explanationibus, aut narrationibus; denique in toto illo genere, quod subtile, humile, atq; attenuatum dicitur, rariores, ac breuiores, debent esse Periodi; frequẽtia Cola, & Cõmata: quibus sermo quoque familiaris fere constat.

De Numero Oratorio Caput 6.

QVamquam necesse est totam periodum esse numerosam, & primo leniter ingredi, deinde molliter fluere, postremo grauiter iucundeque consistere: tamen plus diligentiæ requiritur in clausulis, quam in principiis: media uero liberiora sunt,

& fere artem non desiderant. Nam Auditorin cursu verborum facile fallitur, sed expectat ad clausulã: quæ si aspere, ac duriter insistit, offenditur; si vero apte ac numerose concluditur, delectatur. Nunc quales sint; & qui cuique loco apti pedes, videndum est: si vnum antea monuerimus, Numerum oratorium omni scriptorum generi esse communem; sed ab alijs negligentius atq;incuriosius, ab Oratore uero artificiose, ac diligenter tractari oportere.

De pedibus Caput. 7.

PEDES, ad quos ceteri reducuntur sunt duodecim, idest quatuor disyllabi, octo autem trisyllabi, quorum nomina, & potestates infra subiecimus.

Spondeus constat e duabus syllabis longis: ut, Fortes
Pyrrhichius ex duabus breuibus: ut, Deus
Iambus ex breui, & longa: vt, Viros
Choreus ex longa, & breui: vt, Torquet
Dactylus ex longa, & duabus breuibus: vt, Aethera
Anapæstus ex duabus breuibus, & longa: vt, Resonãt
Tribrachus ex tribus breuibus: vt, Colite
Molossus ex tribus longis: vt, Romanos
Creticus ex longa, breui, longa: vt, Castitas
Amphibrachus, e breui, longa, breui: vt, Amanda
Bacchius ex breui, & duabus longis: vt, Superbos
Palimbacchius ex duabus longis & breui: vt, Contũde

Hic vnum notandum est, extremam syllabam ut in

carmine, ſic in periodo, communem cenſeri, itaque nihil intereſt, utri pedes periodum claudant, Spódeus an Choreus, Dactilus an Creticus, Palimbacchius, an Moloſſus. habentur enim pro paribus qui tantummodo in fine diſcrepant.

N O T AE.

SVNT alij ex his compoſiti pedes ſedecim tetraſyllabi, Pæones quatuor, Epitriti quatuor, Ionici duo, Procleuſmaticus, Diſpondeus, Dijambus, Dichoreus, Choriambus, Antiſpaſtus: denique vnus pentaſyllabus, Dochimus; qui omnes in aliquos ex ſuperioribus facillime reſoluũtur: vt ex infra poſitis exemplis colligitur. Pæon conſtat ex tribus ſyllabis breuibus, & vna longa: ſed ſi longa prima fuerit, Pæonem primum facit; ſi ſecunda ſecũdum, & ſic deinceps. Epitritus eſt Pæoni contrarius, qui conſtat ex tribus longis, & vna breui: ſed ſi breuis prima fuerit, Epitritũ primum facit, ſi ſecunda ſecundum, & ita in reliquis

Pæon. 1. conſtat ex Choreo & Pyrrh: vt,	Muneribus
Pæon. 2. ex Iambo, & Pyrrh: vt,	Inertia
Pæon. 3. ex Pyrrh: & Choreo: vt,	Videatur
Pæon. 4. ex Pyrrh: & Iambo: vt,	Temeritas
Epitritus. 1. ex Iambo, & Spondæo: vt,	Recuſantes
Epitr. 2. ex Choreo, & Spondæo: vt,	Confiteri
Epitr. 3. ex Spondæo, & Iambo: vt,	Cõſumerét
Epitr. 4. ex Spondæo, et Choreo: vt,	Cõſeruãtur
Ionicus maior ex Spondeo, & Pyrrh: vt,	Conſtantia
Ionicus minor ex Pyrrh: et Spondæo: vt,	Retinerent
Procleuſmaticus ex duobus Pyrrh: vt,	Miſereor.
Diſpondæus ex duobus Spondæis: vt,	Conſeruaui
Dijambus ex duobus Iambis: vt,	Perennitas
Dichoreus ex duobus Choreis: vt,	Conſulebat
Choriambus ex Choreo et Iambo: vt,	Simplicitas
Antiſpaſtus ex Iambo, et Choreo: vt,	Oportere
Dochimus ex Bacchio, et Iambo: vt,	Perhorreſcerent

Quod si tota hæc tractatio numeri Oratorij difficilior videbitur, quam quæ tironibus pueris tradi posſit; omittatur in præſens; & postea cum magis opportunum cenſebitur, repetatur.

De principio & Medio periodi numeroſæ. Cap. 8.

PRincipijs omnes pedes putantur apti: ſed ea tamen a grauibus atq; proceris numeris optime naſcuntur, Spondæo; vt, Quamquam mihi &c. Dactylo; vt Serius omnino Iudices: Anapæſto, Vtinam Quirites: Cretico, Maxime vellem Iudices: Moloſſo, Iam vero virtuti Cn. Pompeij: Dichoreo, Hoc breuiſſime dicam: In medijs vero periodis, hoc eſt in fine commatum, aut membrorum, ait Cicero, omnes debere eſſe permiſtos, & quaſi confuſos pedes. neq; enim effugere poſſet animaduerſionē Orator, ſi ſemper iiſdem vteretur: tamen idem Cicero, ſi rem tractat paulo grauiorem, eoſdem fere in medio quos in principio pedes adhibet: vt Pro Marcello, Nullius, inquit, eſt tantum flumen ingenij, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis tantaque copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare, Cai Cæſar, res tuas geſtas poſſit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his laudem eſſe ampliorem, quam eam, quam hodierno die conſecutus es. In qua periodo ſunt quidem

dem alij pedes permisti. Sed illam maxime illustrem faciunt Dactyli, Cretici, Spondei; & præterea etiam Spōdeo iunctus Dochimus in illis verbis, Hoc pace dicam tua. Qui pes, vt Cicero ait, in quovis loco aptus est, modo semel ponatur.

De fine Periodi numerosæ. Caput 9.

QVia Numerus oratorius in clausulis maxime apparet, & intelligitur, ideo in his diligentior, quam in ceteris esse debet Orator. Pedes autem claudendis periodis accommodati, duum generum sunt, Paeones & Epitriti: qui cum singuli quaternos pedes habeant, nulla est clausula, quæ non in aliquem illorum cadat; modo, vt antediximus, vltima syllaba censeatur esse communis.

Ex his tamen illustriores videntur tres: Paeon tertius, vt, Hæc autem extrema, quæ nuper acciderunt; non culpæ sed fortunæ tribuenda esse videantur: & Epitritus secundus, vel dichoreus: vt, Meus labor in priuatorum periculis caste integreq; versatus ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus: & Epitritus tertius, Cic. ad Cæsarem pro Marcello, Nihil habet nec fortuna tua maius quam vt possis; nec natura tua melius quam vt velis seruare quā plurimos. Sed in oratione numerosa, nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Ergo pedes ita inter se misceantur, ac temperentur ne delectationis aucu-

pium,

pium, & quadrandæ orationis industria posit animaduerti: Vt enim nimia eorum negligentia, ita nimia cura & solicitudo vituperari solet.

Quid præterea in Clausulis obseruandum sit Cap. 10.

IN Periodis terminandis sex aut septem syllabarum ratio habenda est: quæ vero dictiones intra hūc numerum cōtinentur, eæ uidendum est vt sonoræ, splendidæ atq; elegantes sint: longas vero an breues habeant syllabas, fere nihil interest, præter penultimam: quæ si breuis fuerit celerius fluet oratio; si longa, tardius grauiusque consistet. Ergo si extrema dictio sex, aut septem syllabis constat, vt Commiserationem, Misericordiam: nihil vltra spectare oportet ad numeri concinnitatem; sed pentasyllabis apte præponitur spondæus: vt, Te miror Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere: & Meæ vitæ rationes, ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. In tetrasyllabis habeatur ratio penultimæ: nam ea si breuis fuerit, aliā longam præcedere se re conuenit; si longa, breuem: vt, Meam causam rationemq; cognoscerent: & Nulla vmquam ætas de tuis laudibus conticescet. In trisyllabis idem fere obseruatur: vt, Fundamenta quæ cogitas, non durum ieceris: &, Vbi hæc absoluero finem faciam dicendi. Sed hic Choreus quoque eleganter præponitur; vt, Libros eius pa

 triam-

-tris mque respexit. Quod si magna celeritas exprimenda erit, corripies vtramque; vt, Subito concidit: cōtra si magna tarditas, produces vtramque; vt, Conseruaui vniuersos. Disyllaba sonant suauissime si in Iābum cadunt præcedente spondæo: vt, Conseruatā ac restitutam puto: &, Cupio res nostras monumentis cōmendari tuis. Contra Spondæo, Iambus aut Creticus anteponitur: vt, Carere me aspectu ciuium, quam infestis oculis omnium conspici, mallem. Denique dictio monosyllaba, vel aliam monosyllabam sibi adiungit: vt Hæc (mihi credite Iudices) aspernanda nō sunt; vel polysyllabam longa penultima: vt, Mihi nō tam copia, quam modus in dicendo quærendus est. quod si occurrat synaloepha, nihil impedit breuem præcedere: vt, Vbi libido dominatur, innocentiæ leue præsidium est. At periodi longiores polysyllabo sæpe clauduntur, eoque potius verbo quam nomine, & ex nominibus adiectiuo potius, quam substantiuo, modo illud sciatur, finem carminis non conuenire orationi: quod tamen Bruto excidit: vt, Quamquam sciuit placuisse Catoni.

NOTAE.

SVnt aliqui verborum, et sententiarum figuræ quæ sua sponte harmoniam quandam efficiunt, ideoque Oratori laborem minuunt metiendi pedes, et quærendi apte cadentes numeros. Ea sunt Similiter cadentia, Similiter desinentia, Contraposita, Sententiæ, Gradationes aliæque nonnullæ: in quibus & si nulla pedum ratio habeatur, tamen apte atq; concinne cadunt.

De dignitate Caput II.

DIgnitas est quæ ornatam reddit orationem, & grata varietate distinctam. Ea constat ex Tropis, & Figuris, quibus varie expolitur, ornatur, atq; augetur Oratio. Tropus latine conuersionem aut mutationem significat, & est vnius aut plurium dictionū a propria significatione in aliam cum venustate mutatio, vt cum Ignis ponitur pro amore, Lupus pro homine rapaci, Ferrum pro gladio, Bonus ille vir pro improbo; & Romanus victor, pro Romani victores. Figura est nouata quædam dicendi forma, supra vulgarem, & quotidianum loquendi morem ex arte facta: quæ cum in verbis, atq; sententijs contingere soleat: figuræ quoque duum generum sunt, aliæ verborum, aliæ sententiarum: illæ, in solo verborum ordine, atq; structura sitæ sunt, hæ vero, in mente tantum & sensu ipso orationis. Atq; hinc fit vt figura verborum immutato, aut peruerso dictionum ordine, ipsa quoque vna pereat: Figura vero sententiarum, quibuscunque vtaris verbis, maneat, & conseruetur. Exempli caussa, Tibi aras, Tibi occas, Tibi iste pariet lætitiam labor. Hæc Anaphora est verborum figura: tolle ordinem aut verba hoc modo, Tibi aras, atq; occas, & iste labor tibi lætitiam pariet. Non est amplius Anaphora. Rursus, O inusitatam atque inauditam liberalitatem, O hominem ad beneficentiā natum. Hæc est figura sententiarum, quæ dicitur Exclamatio. Mu-

ta ordinem, aut verba hoc pacto, O singulare & numquam antehac auditum liberalitatis genus, & O hominem natum ad benemerendum, erit nihilominus exclamatio: licet nec verba sint prorsus eadem, nec disposita eodem modo, nempe quia exornatio in sensu est, non in verbis.

NOTAE.

TRoporum, ac figurarum vsus duplex est, vnus pertinet ad iudicandas aliorum orationes, earumq; artificium recognoscendum: alter vero ad contexendas proprio marte orationes, et his quasi coloribus depingendas: atq; hic quidem modus posterior non continuo exigendus est ab eo puero, qui nunc primum a Grammatico veniat: si quid conetur, atque efficiat sua sponte, accipiendum est: ceterum illa tenuitas atq; imbecillitas, vel eruditionis, vel ætatis, initio premi non debet hoc tanto et tam graui pondere contexendæ, ac figurandæ orationis. Nam post grammaticas præceptiones aliquamdiu exercendus est puer in oratione simplici, et naturali: neque ante ad Metaphoras, ad Periphrases, ad Apostrophas, cetera sq; artificiosas loquendi formas transferendus, quam imbiberit germanum illum, atq; natiuum succum sermonis latini; qui potissimum ex M. Tullio, Cæsare, Terentio, Plauto hauriendus videtur. vbi vero puram, latinam, atque, vt ita dixerim, nudam orationem formare nouerit, tum scilicet ad ornamenta veniendum est, et Oratio Tropis et Figuris quasi vestibus decoranda. Alter vero figurarum atq; troporum vsus cernitur, non in texendis nostro marte orationibus, sed duntaxat in Oratoribus, Poetis, Historicis, alijsque scriptoribus interpretandis: qui cum pueris prælegantur, atq; explicentur, vbi primum a Grammaticis congruenter atq; emendate loqui didicerint, non est difficile has, vt ita dicam, gemmas orationis inter explanandum notare, atque illis spectandas proponere; si minus ad imitandum, quod tunc quidem illa ætas non capit; certe ad intelligendum,

& cognoſcendum ; quod et facile eſt, et ad progrediendum in litteris neceſſarium. Atq; hæc, vt ſupra etiam adnotauimus, fuit cauſa quare nos ante de elocutione præcipiendum putauimus, quam ad ceteras, natura quidem priores, ſed vſu poſteriores Rhetoricæ partes veniremus.

De Troporum diuiſione, & numero. *Caput 12.*

TRopus eſt duplex, ideſt, vel vnius dictionis, vt Mars pro bello, Toga pro pace, Puppis pro naui; vel orationis: vt, Lupus eſt in fabula, pro adeſt is de quo loquimur: et Hirundines domo pellito, ideſt garrulos, atq; adulatores fuge. Sunt autẽ Tropi octo, ex quibus quatuor ſpectantur in mutatione vnius verbi, Metaphora, Metonymia, Synecdoche, Antonomaſia. Reliqui quatuor cernuntur in mutatione orationis, Allegoria, Ironia, Periphraſis & Hyperbole.

NOTAE.

TRopos alii vndecim faciunt adiectis tribus, Catachrêſi, Metalepſi, Onomatopoeia, quos ipſi conſulto omiſimus: quia Catachrêſis non eſt aliud quam Metaphora, neceſsitatis, aut abuſus cauſa vſurpata, vt ſi Pyxidem dicas, pro vaſculo cuiuſcumque materiæ; Parricidam, qui quemlibet ex cognatis interfecerit; & Equitare eum, qui Aſino inſidet. Metalepſis vero modus eſt rariſsimus, & maxime improprius: atque is ipſe ad Metonymiam refertur: quia in eo res vna pro altera vſurpatur, ſi non vicina ſaltem non admodùm remota: ad quam veluti per gradus adſcendendum eſt, hoc modo. Virg. in Buc.

Poſt aliquot mea regna uidens mirabor ariſtas. ideſt, poſt ali-

quot

quot annos, nam ex ariſtis ſpicas, ex his meſſes, ex meſsibus æſtates, ex his demum annos intelligimus. Denique Onomatopoeia eſt fictio nominis, quæ uocis ſonum imitatur, vt Stridere, Sibilare, Rugire, Balare, quæ uerba ſi tribuantur iis rebus, quarum illa ſunt propria non erunt Tropi, quia nihil uertunt. ſi uero per ſimilitudinem ad res alias transferantur, ad Metaphoram pertinent; ut infra expoſuimus ſuo loco.

De Metaphora Caput 13.

Metaphora latine Translatio, eſt cum verbum aliquod a propria ſignificatione, in aliam non propriam ſed valde ſimilem transfertur, vt Videre pro Animaduertere, Audire pro Obtemperare; Odorari pro Inueſtigare; Deguſtare orationem pro leuiter adſpicere; ſic moleſtiam deuorare pro pferre; Iram concoquere, pro Mitigari; Rem tenere, pro Intelligere, & animo comprehendere. Traslationem, inquit Cicero, neceſsitas genuit inopia coacta primo & anguſtijs: poſt autem delectatio iucunditaſq. celebrauit. nam vt veſtis frigoris depellendi cauſſa primo, poſt adhiberi coepta eſt ad ornatum etiam corporis & dignitatem: ſic verbi translatio inſtituta eſt inopiæ cauſſa, frequentata delectationis. Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium eſt, in eum, in quo aut proprium deeſt, aut translatum proprio melius eſt. id facimus aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificantius, aut quia decentius. Neceſsitate dicimus prata ridere, lætari ſegetes, gemmare vites, fructus laborare; ſic Durum aut aſperum hominem,

pro immiti: Parricidam, pro Regis aut Principis interfectore; Sicarium, qui caedem fecit quocunque telo. Non enim habemus alia vocabula, quibus hæc possimus exprimere. Iam Incensum ira & inflammatum cupiditate & lapsum errore, significandi gratia vsurpamus. nihil enim horum suis verbis, quam his arcessitis, melius exprimitur. Illa deniq. ad ornatum atque decorē attinent, Generis claritas, lumen ingenij, flos ætatis, argumentorum laquei, & alia his similia quibus venuste translatis, hominum animi mirifice capiuntur & delectantur. Vbi vero neq. necessitatē neque maiorem significationem, neq. ornatum habebit, quod transferetur: melius erit non vti Metaphora. nam ea aut vacantem occupare locum debet, aut si in alienum uenit, plus ualere eo quod expellit. Ad Metaphoram pertinet imago rei, hoc est vnius verbi similitudo. non est enim vlla Metaphora sine similitudine: sed hoc differunt, quod hæc comparatur rei, quam volumus exprimere, illa vero pro ipsa re ponitur. Similitudo, est cum dico Fecisse quid hominē vt Leonē; Metaphora, cū dico de homine Leo est.

Vnde ducantur Metaphoræ. Cap. 14.

Metaphoræ omnes ex quatuor locis erui possunt, Ab Homine, a Bruto, a Planta, & a rebus inanimis. Ab homine, cum quod proprium hominis videtur esse, id alteri rei tribuitur, vt Generosus

Leo,

Leo, superbus Pauo, Perfida Vulpes, Canis Assentator: Huc referuntur ea, quæ a uarijs artificibus ducta sunt, vt Consuere dolos, Fabricari fallacias, Limare aut polire orationem, Ordiri aut texere historiam. Sed ex omnibus metaphoris, quæ ab homine petuntur, illæ sunt maxime illustres, quæ ad res anima sensuq; carentes transferuntur. quomodo dixit Virg. Araxim Fluuium ægre tulisse, quod sibi pons esset impositus.

Et pontem indignatus Araxes. Item

Nec varios discet mentiri lana colores.

Cic. pro Marcello, Parietes medius fidius, Cai Cæsar, vt mihi videntur, huius curiæ, tibi gratias agere gestiunt. A Brutis vero trãslationes sumuntur eodẽ modo, vt cum dicimus, Hominem dentibus frendere, Rugire, Latrare, Rudere, Pipilare; Item Vorare, Pascere, Stabulari, & plura talia. A Plantis vero hoc modo, Pullulare, Germinare, Fruticari, pro Nasci & grandem fieri. Florere, pro esse in pretio; Fructus ferre, aut gignere, pro res præclaras, atq; vtiles efficere. Denique a rebus inanimis magnam siluam translationum petere licet, vt ab Igne, Ardor animi, Bellorum incendia, Flammæ Ciuilium discordiarum. Virg.

Incenditq; animum dictis, atq; aggerat iras.

Ab Aqua; vt, Flumẽ aureum eloquentiæ, Diffluere voluptate; Doctrinam haurire ex summis viris. Cic. Tardi est ingenij riuulos consectari, fontes rerum non videre. Ab Aere vel ab ijs quæ in aere fiunt; vt Serenitas

tas frontis, Nubecula suspicionis, Verborum fulmina, Tempestas, atq; calamitas Reip. Virg.

——— ——— Spem fronte serenat

A Terra; vt, Ingenium excolere, Linguam repurgare, Serere beneficium, & Messem metere laborum suorum: idest Mercedem, & præmium consequi. Postremo ita statuendum est, nihil esse in rerū natura, ex quo ab homine ingenioso metaphora duci non posit.

NOTAE.

IN Metaphoris maxime cauenda sunt hæc tria: primo ne nimium frequentes, & conglobatæ adhibeantur. tunc enim non illustrant, sed obscurant potius orationem, & Auditores tædio complent. Deinde spectandum est quo in genere orationis uersemur: Nam in summo, & graui, ut in Epicis, in Tragoedijs, in Panegyricis, tum crebrioribus, tum maioribus licet uti Metaphoris. In genere autem familiari, ut in sermone quotidiano, in Dialogis, In Comoedijs, in Epistolis, adhibere grandes aut crebras Metaphoras putidum est & affectatum. Postremo ne sint nimium duræ ut, Montes belli struere, pro maximos bellorum motus excitare: Campos pacis colere, pro uitam maxime otio sam atq; tranquillam degere. Quod si uerearis ne durior translatio uideatur, molliendā est præposito sæpe uerbo, Fere, quasi, si fas est dicere, ut ita dicam, si mihi sic loqui licet, aliisque similibus formulis rei leniendæ accō modatis: ut si olim M. Catone mortuo quis diceret Senatum pupillum esse relictum, paulo durius; sin, Vt ita dicam pupillum, aliquanto mitius esset. Etenim uerecunda debet esse. traslatio, ut deducta esse in alienum locum non irrupisse: atq; ut precario, non ui uenisse uideatur. Modus autem nullus est florentior in singulis uerbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Præterea confert maxime ad sermonis copiam augendam permutando aut mutuando quod non habet: quodque difficillimum est, præstat ne ulli rei nomen deesse uideatur. Hæc fere Cicero lib. 3. de orat. & Quintil. lib. 8, Cap, 6.

De Metonymia Cap. 15.

METonymia, quam oratores Hypallagen vocant, latine Denominatio dicta, est cum res vna per aliam vicinam intelligitur. Ea fit octo modis. Primo, Inuentor ponitur pro re inuenta, vel quoquo modo illi subiecta: vt Bacchus pro uino, Ceres pro frumento, Minerua pro sapientia, Musæ pro litteris, Mars pro bello Neptunus pro mari, Vulcanus pro igne, Iupiter aut Iuno pro aere. Horat: Manet sub Ioue frigido venator, idest sub Dio, siue sub aere. Huc pertinet cum auctoris nomen pro ipsius opere usurpatur, vt Plato, Demosthenes, Cicero, pro illorum scriptis. Martial.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens:
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Secundo, Dux aut Præfectus, pro ijs qui eius imperio subiecti sunt: vt, Alexander totum orientem armis subegit, idest eius milites: & Cęsar Galliam, Pompeius Asiam perdomuit, idest vtriusq; Classes atq; exercitus.

Tertio, Continens pro re contenta: vt Ebibere poculum, pro liquorem e poculo, Ciuitas bene morata, pro ipsis Ciuibus, Collegium optime institutũ, pro ijs qui in Collegio educantur. Cicero, Testis est Italia, Sicilia, Gallia, idest Italicæ, Siculæ, Gallicæ nationes.

Quarto, Contentum pro continenti, vel Possidens pro re possessa; ut Vina coronant, idest uasa quæ uinũ con-

continent, Iam proximus ardet Vcalegon, ideſt domus Vcalegontis: & Eamus ad me, ideſt domum meã.

Quinto, Effectus pro cauſa efficiente, ideſt cũ alicui rei tribuit, qđ ex illa re naſcitur: ut Pallida mors, Pallentes morbi, Triſtis ſenectus, Audax iuuenta, Præceps ſuror, Inſolens, & ſuperba Victoria. Non enim iſta ſunt per ſe talia, ſed tales effectus gignunt: quia Mors reddit homines pallidos, Senect' triſtes, Iuuẽt' audaces.

Sexto, Materia ipſa pro re cõfecta ex materia: vt Ferrum pro gladio, Pinus pro Naui, Aurum, & argentum pro pecunia uel ſupellectili aurea, & argentea. Cic: Verr: 6. Cum eſſent triclinia ſtrata, argentumque expoſitum in ædibus, Argentum hic ſignificat argenteam ſupellectilem, nempe uaſa & ueſtes.

Septimo, ſignum pro re ſignata: ut, Toga pro pace, Faſces pro magiſtratu, Sceptrum pro regno, Aquila pro Caeſarianis, Luna pro Turcis, Crux pro nobis Chriſtianis.

Octauo, Adiunctum pro re ſubiecta, ut cum hominibus probis & improbis virtutum ac uitiorum nomina imponuntur, Horat: Perrupit Acheronta Herculeus labor. ideſt Hercules laborum tolerantiſsimus: Idem alibi Virtutem Catonis dicit pro ipſo Catone. Cicero Verr: 1. Quas res, inquit, luxuries in flagitijs, crudelitas in ſupplicijs, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumelijs efficere potuiſſet; eas omnes ſeſe hoc uno Praetore per triennium pertuliſſe. Luxuries pro luxurioſo homine ponitur, Crudelitas pro crudeli,

Aua

Auaritia pro auaro, Superbia pro superbo. Est autem hic Tropus in plerisq. Poeticus magis quam Oratorius.

N O T AE.

LOcus est maxime insignis apud Ciceronem Catilin. 2. in quo virtutum & vitiorum nomina vsurpantur pro hominibus, in quibus illa inerant. Ex hac, inquit, parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo &c. Pudor enim pro homine pudenti, Petulantia pro petulanti accipitur, & sic in reliquis.

Est autem subiectum, siue subiecta res ea, cui aliquid adiungitur: Adiunctum vero id, cui aliquid subijcitur. Exempli causa, Animus est subiectum scientiæ aut ignorantiæ, virtutis aut uitij, spei aut timoris, lætitiæ aut aegritudinis. Sic Corpus Subiectum est longitudinis, latitudinis, crassitudinis, &c. E contrario, Virtutes et uitia, Animi adiuncta dicuntur: sic bona vel mala ualetudo, & ceteræ prope innumeræ qualitates, seu quantitates, quæ corpori aduenire possunt, corporis adiuncta appellantur. Ex quo fit, ut octauus modus Metonymiæ, in quo ex adiunctis res subiectæ significantur, latissime pateat. non enim tantummodo vitia virtutesque complectitur, (quãquã hæc maxime) sed extenditur ad alia prope innumerabilia, quæ alicui rei adiuncta & attributa esse possunt. Hinc dicimus, Nobilitatem colere pro Viros nobiles, Fauere ingenijs, idest hominibus ingeniosis, Fouere litteras aut Musas, idest, homines litteratos, et Musis deditos. Generosissimarum imaginum fœtus, dixit Valerius, pro filijs hominum nobilissimorum. nam per imagines, quæ nobilitati adiunctæ sunt, nobilitatem ipsam intelligimus; p hanc vero, Viros nobiles. Sic dicimus Turcica arma in Persas imminent, idest ipsi Turcae armati: Nostra infirmitas parum apta est ad proelium, idest nos parum apti, quia infirmi, et sexcenta talia.

De Synecdoche Caput 16.

Synecdoche, latine Intellectio est Tropus in quo totum ex parte, aut ex toto pars intelligitur. Hoc vero sex modis fieri potest. Primo pars pro toto accipitur, vt Puppis pro naui, Tectum pro domo, Mucro pro gladio, Caput pro toto homine. Cic. Mucrones eorum a iugulis vestris reiecimus. Secundo totum pro parte, vt Corpus pro manu, pede, crure, vel alia parte corporis. Nunc formosissimus annus, inquit Maro, idest pars anni, nempe Autumnus aut Ver. Cælum rubet, idest Cæli pars aliqua. Sic fontem aut fluuium ferre dicunt Poetæ, pro parte fontis, & parte fluuij. Tertio vnum pro pluribus, ut Romanus prælio victor, pro Romani victores. Hostis habet muros, pro hostes: Vterumq; armato milite complent, pro armatis militibus. Quarto plura pro uno, vt Brutos, Cassios, pro vno Bruto, & vno Cassio. Poetæ autem frequentissime, Pectora, corda, & animos dicunt numero multitudinis, cum de uno homine sermonem habent: & Cicero, Populo, inquit, imposuimus, & Oratores visi sumus: cum de se tantum loqueretur. Quincto species pro genere, vt Iracundior Hadria, pro quo uis tempestuoso mari: Acheloia pocula, pro qua uis aqua: Sic Auster, vel Eurus pro quo uis uento: Sexto genus pro specie, vt Ales pro Aquila, Quadrupes pro Equo. Cicero Molestum atque importunum animal dixit

pro homine turbulento, & odioso. Hic quoque Tropus Poetis accommodatior est, quam Oratoribus

NOTAE.

AD Synecdochen quidam existimant pertinere, cum ex consequentibus, antecedentia significantur, ut illud Virgilian.

Aspice aratra iugo referunt suspensa iuuenci,
Et iam summa procul villarum culmina fumant,

Qui modus ad Periphasim potius, uel ad descriptionem noctis impendentis, quam ad Synecdochen referendus uidetur. Differt autem hic Tropus a superiori, quia ille vocem aliquam ex propinquo mutuatur ad aliquid significandum: hic uero nō transit in alienum, sed suo vtitur, habetq; hoc proprium ex sese, quod numquam simpliciter significat id, quod pronunciat, sed semper aut plus eo, aut minus: Nam cum dico, Tectum pro domo, plus est quod intelligo quam quod dico. Contra cum dico Cicerones, Varrones, Cæsares pro uno ex illis, minus est quod intelligo quam quod dico.

De Antonomasia Cap. 17.

ANtonomasia latine Pronominatio, est cum aliquod nomen alicui rei tribuitur per excellentiam. Ea fit duobus modis, primo cum Appellatiuum loco proprii vsurpatur, vt si dicas Philosophum pro Aristotele, Poetam pro Virgilio, Oratorem pro M. Tullio, Sapientem pro Salomone, Vrbem pro Roma. Secundo cum proprium nomen vsurpatur pro appellatiuo, ut Crœsus pro homine fortunato, Crassus pro diuite, Curius pro frugi, Ale

xander

xander, aut Cæſar pro ſtrenuo bellatore. Cicero Agraria. 2. Lucinos, Calatinos, Acidinos, pro Ciuibus honoratis, & pauperibus. Catones, Philippos, Lælios pro ſapientibus & temperatis vſurpauit. Atq; hic quidem Tropus tam Poëtis, quam Oratoribus communis eſt.

De Allegoria Caput. 17.

HActenus de ijs Tropis egimus, qui in vnico verbo ſpectantur: nunc de iis agendum eſt, quorum uis in coniunctis verbis, & in ipſa oratione cernitur. In quibus propter ſuauitatem eiuſque frequentem vſum primas obtinet Allegoria, latine Permutatio, vel Inuerſio dicta: cum videlicet Oratio aliud verbis, aliud ipſo ſenſu præſefert, hoc eſt aliud dicit, aliud ſignificat. exēpli gratiâ cū dicimus, Ouem Lupo commiſiſti, hoc ſignificamus, te illi homini credidiſſe, a quo magnopere cauendum fuit. Vino vendibili ſuſpenſa hedera non eſt opus, ideſt res per ſe vtilis, & laudabilis non eget cōmendatione. M. Tullius Allegoriam dicit eſſe perpetuam quandam, ac multiplicatam metaphoram. quoties enim ſermo per metaphoram continuatur, & plures tranſlationes & ſimilitudines coeunt in vnam ſententiam, hoc eſt ſcilicet vſitatiſsimum atque pulcherrimum genus Allegoriæ. Cic. pro M. Cælio. Sed quoniam emerſiſſe iam e vadis & ſcopulos præteruecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur.

Idem lib.3. de Orat. O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt; & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Virg.

Sed nos immensum spatijs confecimus æquor,
Et iam tempus equum fumantia soluere colla.

Idem.

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt,

Ideſt multa iam diximus, desinamus.

Quid in Allegoria obseruandum sit Caput 19.

IN Allegoria illud maxime seruandum præcipitur; vt a quo genere translationis inceperis, in eo desinas, neque temere in aliud longe diuersum transilias: vt si quis ita diceret. In campo tantarum laudum mea non audet excurrere oratio; nisi aura humanitatis vestræ nostram nauiculam impellat. Oportet enim perstare in Metaphora, dum sentētiam absoluas, atq; apte concludas hoc pacto, Cic. Philip.4. Virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nunquam vi labefactari potest, numquam dimoueri loco. Item Cat.3. Memoria vestra, Quirites, nostræ res alentur, sermonibus crescent, litterarum monimentis inueterascent, & corroborabuntur.

NO-

NOTAE.

CVM Allegoria, vt Ciceroni placet, ex pluribus translationibus connectatur: idem hic quoque cauendum est, quod supra adnotauimus ad secundum caput de Metaphora: Primo ne Allegoriæ nimis frequentes sint, aut nimis grandes in genere dicendi humiliore: Deinde ne sint adeo obscuræ, vt transeant in Aenigmata: vt, Dionysius Corynthi: hoc est ex beato miser: nempe quia Dionysius Regno Siciliæ pulsus eo miseriarum redactus est, ut Corynthi ludum aperire coactus fuerit. Item illud, Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me: quæ nimirum glacies est, quæ cum ex aqua concreuerit, mox in eamdem resoluitur. Quod genus in oratione vitandum est: licet nonnumquam a viris doctis ad acuendum, excitandumque auditoris, aut lectoris ingenium adhiberi soleat. Allegoriæ obscuriores aptissime illustrantur, atque explicantur per Comparationem ad hunc modũ; Sicut vinum vendibile non eget suspensa hedera: ita virtus eximia per se facile innotescit, prædicatorem nullum desiderat. Ad Allegoriam refertur a nonnullis Adagium, siue prouerbiũ, quam Græci Paroemiam vocant, quod est dictum aliquod vulgo tritum, & scita quadam nouitate insigne: Quod verum est tantummodo in iis, quæ ex translationibus constant, vt, Sus Mineruam docet: Vti sementem feceris, ita & metes. at si prouerbium ex apertis verbis, & nihil aliud, quam quod dicunt, significantibus componitur; Allegoria dici non potest: ut, Male parta, male dilabuntur, Qui sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. Parœmiæ duriores his fere loquendi formis molliuntur, & ornantur, Vt aiunt, Quod dici solet, Vt uetus habet prouerbium, vt est in veteri prouerbio, vt trito fertur adagio.

De Ironia Caput 20.

IRONIA latine Illusio, siue Derisio, est oratio significans contrarium ei quod dicitur. Cicero in

Clodium, Integritas tua te purgauit, mihi crede; pudor eripuit: vita anteacta ſeruauit. Et Turnus apud Virgilium.

——————— *meque timoris*
Argue tu Drance: quando tot caedis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit:

& apud eundem Iuno ad Venerem lib. 4.

Egregiam uero laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque, puerq; tuus, magnũ & memorabile numẽ:
Vna dolo diuum ſi femina uicta duorum eſt.

Hic Tropus Pronunciatione, geſtu, riſu, oculis, adiuuandus eſt: alioqui non ſolum frigeſcit, ſed contrarium dicit ei quod vult: vt,

Inſere nunc Melibœe piros, pone ordine uites.

Qui verſus niſi diſſimulanter, & vultuoſe pronuncietur, vim hortandi habet, cum potius ad deterrendum atq; obiurgandum ſit comparatus. Antiphraſis eſt Ironiæ ſpecies, in qua vnica dictio ponitur pro ſua contraria: itaq; recte dicitur Vnius verbi ironia, vt ſi Hominem nanum Atlantem voces, ignauum Herculem, Cæcum Argum, hebetem ingenioſum atq; acutum.

NOTAE.

HAe voces a Grammaticis per Antiphraſim putantur factæ, Bellum, quia minime bellum, ac bonum ſit, Lucus quia ibi non luceat, Parcæ quia nemini parcant, Schola quæ otium ſignificat

ficat, quod nuſq; minus otiari liceat, quam in ſchola; quæ item ludus dicitur, quia non per ludum, ſed valde ſerio ſtudendum ſit. Alij contra in his quoque agnoſcunt veram ac propriam Etymologiam, putantq: bellum dici quaſi duellum, ideſt duorum bellū, vel potius quia bellare belluarum ſit non hominum: ſic Lucum, quia luceat propter faces quæ in ſacrificijs accendebātur: Parcas, quia parcant, cum ex tribus tantum vna filum recīdat, & ea etiā quoquomodo miſereri ac parcere videatur, dum homines p̄ mortem trāsfert ad veram vitam: ſic schola, inquiunt, a Græcis otium, a latinis ludus recte dicitur: quia re uera ludus eſt, atq; animi oblectatio ſtudium litterarum, neque vllum eſt otium honeſtius, aut quies iucundior, quam quæ a Muſis naſcitur.

De Periphrasi Caput 21.

PEriphraſis latine Circumlocutio vel Circuitio, eſt cum pluribus verbis explicatur id, quod vno vel paucioribus dici poterat, idq; non ſolum neceſſitatis atque honeſtatis, ſed etiam ornatus gratia. Virg.

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Diuum gratiſsima ſerpit.

Ideſt concubia nox erat. Item;

Poſtera Phoebea luſtrabat lampade terras,
Humentemq; Aurora Polo dimouerat umbram.

Ideſt dies erat iam illuſtris. Oratores hoc Tropo Frequenter vtuntur, ſed preſsius atque adſtrictius quam Poetæ: vt Natale ſolum pro patria, Latinæ eloquentiæ pater pro M. Tullio, Romanæ conditor Vrbis pro Romulo, Qui ſummum imperium tenet pro Imperatore. Verum hæc, vt cum decorem habet, Periphraſis: ita cum in vitium incidit, Periſſologia dici-

tur, ideſt ſermonis redundantia. obſtat enim quidquid non adiuuat.

NOTAE.

Differt Periphraſis ab Antonomaſia, quod in hac vox ſimplex alia voce ſimplici commutatur: vt Poeta pro Virgilio. In Periphraſi vero vox vna pluribus circumſcribitur: vt Latinorum Poetarum princeps, pro Virgilio. Quidquid enim ſignificari breuius poteſt, & ornandi cauſa latius extenditur, Periphraſis eſt.

De Hyperbole Caput 22.

Hyperbole, latine Exceſſus, & Superlatio, eſt dictio vel oratio ſuperans fidem, augendi vel minuendi gratia. Augendi quidem, vt Niue candidior, Sole illuſtrior, Melle dulcior. Cicero pro Cluentio, Quod Portentum, dij immortales, quod tantum mōſtrum in vllis locis, quod tam infeſtum ſcelus atq; immane, aut vnde natum eſſe dicamus? Idem de ſuo reditu ab exilio, Quibus tamquam gradibus mihi videor in cælum aſcendiſſe, non in patriam reuertiſſe. Virg. de Camilla.

Illa uel intactæ ſegetis per ſumma uolaret
Gramina, nec teneras curſu læsiſſet ariſtas

Idem Ecloga. 7.

Candidior Cycnis, hedera formosior alba.

Iam ad minuendum ſpectare videntur hæc, Inconſtātior Hadria, Pluma leuior, Teſtudine tardior, Pyg-

mæo

mæo breuior; & illud Virgilianum.

——————*Vix ossibus hærent.*

Sed tam in augendo, quam in minuendo, seruetur mensura quædam: Quamuis est enim omnis Hyperbole vltra fidem, non tamen esse debet vltra modum. & hæc de Tropis dicta sufficiant: Nunc ad figuras veniamus.

NOTAE.

Facilitatis gratia duæ species superlationis a Rhetoribus constituuntur: vna ad augendum, altera ad minuendum, cum fortasse satis esset vnam speciem assignare: quia Amplificatio, & extenuatio sub eandē rationē cadūt. Nā qui dicit, exēpli causa, Quēpiam esse pluma leuiorem, vna opera auget & minuit, auget leuitatē, minuit cōstantiā: & sic in ceteris. Hyperbole sæpe iūngit cū illo genere translationum, quas Cicero audaciores appellat, quoties nimirum rebus inanimis actum quendam, & animos damus. Virg. lib. 1. Aen: Geminiq; minantur In cælum scopuli Nam quod dicit, scopulos minari, Metaphora est vna ex illis audacibus, quæ ab homine ad res inanimas deducitur: quod vero ait In cælum minari, Hyperbole est: quia supra fidem videtur esse, ut homines in cælum minas, terroresq; intendant.

De figuris Verborum Cap. 23.

Verborum figuræ illustriores, & magis necessariæ sunt quindecim. Ex quibus decem, quia idē verbum varijs modis repetunt, figuræ Repetitionis vocantur: reliquæ quia consistunt in quadam sermonis æqualitate ac simili vocum exitu & sono, figuræ simi-

litudinis appellantur. Harum Græca vocabula, quæ magis vſu recepta ſunt, cum latina interpretatione infra ordine ſubiecimus.

Figuræ Repetitionis.

Anaphora	Repetitio
Antiſtrophe	Conuerſio
Symploce	Complexio
Epanalepſis	Conduplicatio
Epanodos	Regreſsio
Anadiploſis	Reduplicatio
Epizeuxis	Subiunctio
Antanaclaſis	Reuerberatio
Paronomaſia	Agnominatio
Polyptoton	Traductio

Figuræ Similitudinis.

Homoeoptoton	Similiter cadens
Homoeoteleuton	Similiter deſinens
Iſocolon	Compar
Aſyndeton	Articulus
Polyſindeton	Multicopula

De Anaphora, Antiſtrophe, & Symploce Caput 24.

ANaphora vel Epanaphora, eſt quæ idem verbũ in principio repetit, & ab vna voce frequenter inchoat orationem: ſic, Scipio Numantiam ſuſtulit, Scipio Carthaginem deleuit, Scipio pacem peperit,

rit, Scipio Ciuitatem seruauit. Virg lib. 4. Georg.

Te dulcis coniux, te solo in littore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.

Cic. pro Sex: Rosc: Amer: Accusant ij, qui in fortunas huius inuaserunt; Caussam dicit is, cui nihil præter calamitatem reliquerunt: Accusant ij, quibus occidi patrē Sexsti Roscij bono fuit; Caussam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verū etiam egestatem: Accusant ij, qui hunc ipsum summe iugulare cupierunt; Caussam dicit is, qui etiam ad hoc iudicium cum præsidio venit, ne hic, ibidem ante oculos vestros trucidaretur.

Antistrophe vel Epistrophe, species est superiori contraria, cum scilicet plura eodem verbo claudimus, & ad eandem vocem crebro reuertimur: hoc modo. Pœnos Populus Romanus iustitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit. Virg.

Surgamus: solet esse grauis cantantibus vmbra:
Iuniperi grauis vmbra: nocēt et frugibus vmbra.

Symploce superiores duas exornationes complectitur, & idem verbum tam in principio, quam in fine crebro repetit: hoc modo, Qui sunt qui foedera sæpe ruperunt? Carthaginienses: Qui sunt qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginienses: Qui sunt qui Italiam deformarunt? Carthaginienses. Qui sunt qui sibi postulant ignosci? Carthaginienses Videte ergo, quid illos deceat impetrare. Cic: de lege Agraria. Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem

tem Populi Rom· ſuffragijs priuauit? Rullus. Quis comitijs eſt præſectus? idem Rullus.

NOTAE.

HAec tres exornationes non ſolum ornant, atq; amplificant orationem, ſed etiam affectus mouent, & in primis ualent ad exhortandum, ad obiurgandum, & exprobrandum. Anaphoræ uſus eſt frequẽtiſsimus tam Poetis, quam Oratoribus. Epiſtrophe in Poetis rara: Oratoribus eſt accommodatior. Simploce ab utriſq; multo rarius uſurpatur, credo quia uidetur habere nimis apertam artis oſtentationem, niſi tamen ea, quæ repetuntur, aliquo modo inter ſe uarientur, & miſceantur Cic. Philip. 2. Doletis tres exercitus Populi Romani eſſe interfectos? Interfecit Antonius: Deſideratis clariſsimos Ciues? Eos quoque eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta eſt? Afflixit Antonius: Quæ ſententia ſi ad exactam eius figuræ normam enuncietur, fortaſſe paulo affectatior uideatur: ut, Quis tres exercitus Populi Romani interfecit? Antonius: Quis Clariſsimos Ciues eripuit? Antonius: Quis, auctoritatem huius ordinis afflixit? Antonius.

De Epanalepſi & Epanodo Cap. 25.

EPanalepſis eſt, quando vox eadem in principio & fine verſus, aut ſententiæ ponitur: Vt Vidimus, Cæſar, tuam victoriam proeliorum exitu terminatã, gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus. Virg.

Multa ſuper Priamo rogitãs ſuper Hectore multa.

Et Iuuenalis.

Creſcit amor nummi, quantũ ipſa pecunia creſcit.

Item Martialis de Aduentu Domitiani Imperatoris.

Phoſpore redde diem: quid gaudia noſtra moraris?

Cæſare

Cæſare venturo, Phoſphore redde diem

Epanodos eſt quando eadem vox in principio, & medio, vel in medio & fine repetitur. Virg.

Iphitus, & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo
Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vliſsi.

Et Cic. pro Plancio. Gratiam qui refert habet: & qui habet, in eo quod habet refert. Sed pulcherrimum huius figuræ genus eſt, cum verba geminantur, & priori, aut poſteriori negatio præponitur. Cic: ad Lent: Ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſe numquã ſatisfacio. Idem de Amic: Quid enim tam abſurdũ quam delectari multis inanibus rebus, animo autem virtute prædito non admodum delectari? Et Verrina prima, Non illud (inquit) peto; quod ſoleo, cum vehementius contendi, impetrare; reus vt abſoluatur: non peto: ſed vt potius ab hoc quam ab illo accuſetur, id peto.

De Anadiploſi, & Epizeuxi Cap. 26.

ANadiploſis eſt cum in qua voce verſus deſinit, ab eadem ſequens verſus incipit, vel eſt iteratio eiuſdem vocis in fine clauſulæ præcedentis & in principio conſequentis. hoc modo.

Pierides vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Et Iuno ad diſcordiam

——— ——— *tibi nomina mille*

Mille nocendi artes.

Cic. in Catilinam, Hic tamen viuit: viuit? immo etiam in Senatum venit.

Epizeuxis eſt dictionis eiuſdem ſine aliquo medio geminatio, quæ cum impetu pronunciationis efferẽda eſt, vt Vos vos appello fortiſsimi viri. Tu tu Antoni Cæſari ruenti cauſam belli Ciuilis dediſti. Virg.

Ah Corydon Corydon quæ te dementia cepit?

Interdum parentheſis interponitur, ſed id pro eo habendum eſt ac ſi geminatio cõtinuetur. Cic. in Ant. Bona (miſerum me, conſumptis enim lacrymis, tamẽ infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeij Magni voci acerbiſsimæ ſubiecta præconis. Habet hæc exornatio magnam vim ad animos permouendos, quia illa redintegratio vocis quaſi telum videtur eſſe, quod ſaepius ad eandem corporis partem perueniat.

De Antanatlaſi, Paronomaſia, & Polypto- to. Cap. 27.

ANtanaclaſis eſt quoties uox aliqua repetitur diuerſa ſignificatione, ut Ad eã diem Memmius non erat Memmius, ideſt ſui ſimilis.

Item, Cur eam rem tam ſtudioſe curas, quæ multas tibi dabit curas? Amari iucundum eſt, ſi curetur nequid inſit amari. Veniam ad uos, ſi mihi ſenatus det ueniam. hæc a nonnullis etiam Ploce dicitur.

Pa-

Paronomaſia,ſeu Paragramma, eſt cum lepide & quaſi per iocum uox aliqua repetitur non prorſus eadem,ſed paulum immutata per detractionem,adiectionem, aut mutationem hoc modo.
Deligere oportet, quem uelis diligere. Nolo eſſe laudator ne ſorte uidear adulator. Cic: de Pædagogo Antonij Philip. 3. Tam cito, inquit, ex Aratore factus eſt Orator? Oppugnari uir bonus poteſt, expugnari autem non poteſt.

Polyptoton eſt cum uox aliqua repetitur diuerſo caſu aut genere aut numero. Ter. Eius me miſeret, ei nunc timeo, is nunc me retinet Cic. Pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientium uoces, plena exemplorum uetuſtas. Atq; hæ decem exornationes, quamquam ſingulæ proprium nomen ſortitæ ſunt, tamen omnes cōmuni uocabulo, Repetitiones appellantur.

De Homoeoptoto Homoeoteleuto, & Iſocolo *Cap. 28.*

Homœoptoton latine Similiter cadens,eſt cum in eoſdem caſus uerba cadunt; ut Hominem laudas egentem uirtute,abundantem felicitate: Diligentia comparat diuitias, ſocordia corrumpit animum. Cic: pro Archia. Hunc ego non diligam? nō admirer? non omni ratione deſendendum putem? figura eſt in illis uerbis, diligam, admirer, putem. Nam & uerba ſicut nomina ſuos habent caſus:

Homoe-

Homoeoteleuton latine Similiter desinens, est cum dictiones, aut sententiæ similes habent exitus, idest eundem sonum, siue rhythmum, ut, Abijt, excessit, erupit, euasit: Turpiter audes facere, nequiter studes dicere: Audacter territas, humiliter placas. Neque refert, utro loco similis uocum sonus exaudiatur, in prima ne, an in media, an in postrema clausula. Cic: Verrina prima. Quid enim facere potuit elegãtius ad hominum existimationem? æquius ad leuandam mulieris calamitatem? uehementius ad Quæstoris libidinem coercendam?

Isocolon, quod latine par membrum significat, est cum sententiæ seu membra orationis constant pari fere numero syllabarum: hoc modo. Pompeius bellum extrema hieme apparauit, ineunte uere suscepit, media æstate confecit, Item, Scipionis uirtus, & Reipublicae profuit, & hostibus terrori fuit, & illi æternum nomen peperit. Isocolon trimembre uel quadrimembre usitatissimum est: raro longius. Mẽbrorum autem paritas non syllabis numerandis affectanda est, sed aurium iudicio metienda.

N O T AE.

Differunt inter se tres prædictæ exornationes; quia in prima spectatur casuum similitudo, in secunda dictionum sonus, in tertia syllabarum numerus. tamen raro singulae per se positæ reperiuntur, sed plerunque omnes in vnum coeunt, & ad eandem sententiam accõmodantur: id quod etiam in alijs usu venit, ut postea

ftea demonftrabimus fuo loco. Scriptor ad Herennium; Perditiffima, inquit, ratio eft, Amorem petere, pudorem fugere; Diligere formam, negligere famam. In quibus exemplis hæc tria fchemata facillime dignofcuntur. Et Cic. pro Sylla: Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolefcentiæ, cedo amicitiæ, tribuo Parẽti. Hic primum eft Ifocôlon, quod ex quatuor fere paribus mẽbris conflatum eft: deinde duplex Homoeoptôton, alterum in quatuor cafibus verborum; Permitto, do, cedo, tribuo: alterum in totidem nominibus, Iracundiæ. Adolefcentiæ, Amicitiæ, Parenti. ex quibus tria cum eodem modo definant, Homoeoteleuton conftituunt. Atque hæ tres figuræ fimilitudinis recte appellantur. Nam duæ quae reftant, fortaffe minus proprie ad hũc numerum aggregantur. nullam n. fimilitudinem praefeferunt, nifi quatenus cum his tribus coniunctae reperiuntur.

De Afyndeto, & Polyfyndeto. Cap. 29.

ASyndeton, fiue Dyaliton, quem Cicero Articulum nominat, eft cum plures dictiones aut sẽtentiæ fine coniunctionibus proferuntur, ut Acrimonia, uoce, uultu, aduerfarios perterruifti; fic Cæfar deuicto, fugatoq; Pharnace, Veni, Vidi, Vici. & Dido Virgiliana.

——————— *inftructi naualibus ite,*
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.

Polyfyndeton figura fuperiori contraria, Coniunctum aut copulatum licet uertere, eft cum oratio coniunctionibus abundat, quibus alioqui carere poffet: Cic: Me præter ceteros, & colit, & obferuat, & diligit. Item, Aut fermone, aut re, aut confilio te iuuero. Virg.

Brontefq; Sterope fq; & nudus membra Pyracmõ

De Figuris sententiarum Cap. 30.

SEquuntur figuras verborum figuræ sentẽtiarum: quæ tanto pluris æstimandæ sunt, quanto præstãt verbis sententiæ: Quo in genere, quia duo præter ceteros excelluerunt, Pericles atque Demosthenes: ideo alter fulgurare, tonare, permiscere Græciã dicebatur; alter a M. Tullio princeps Oratorum est iudicatus. Hæ figuræ sunt numero vigintiquinque: quarum cum aliae in primis valeant ad animos permouendos, aliæ ad dilatandam, atq; amplificandam orationem: iccirco commode in duas classes distribuuntur, vnam Permotionis, alteram Amplificationis.

Figuræ sententiarum primæ Clasis.

Interrogatio	Erotema
Subiectio	Antypophora
Dubitatio	Aporia
Communicatio	Anacoenosis
Sustentatio	Paradoxon
Reticentia	Aposiopesis
Concesio	Epitrope
Licentia	Parrhesia
Auersio	Apostrophe
Exclamatio	Ecphonesis

Figuræ sententiarum secundæ Clasis.

Interpretatio	Epexegesis
Congeries	Synathroismus
Incrementum	Auxesis

Gradatio

Gradatio	Climax
Correctio	Epanorthosis
Præteritio	Paralepsis
Occupatio	Prolepsis
Transitio	Metasthasis
Reiectio	Apodioxis
Sententia	Gnome
Commutatio	Antimetabole.
Similitudo	Homoeosis
Contrapositum	Antitheton
Descriptio	Hypotyposis
Conformatio	Prosopopoeia,

N O T AE.

Figuræ tam verborum,quam sententiarum , pulchritudinem quandam afferunt Orationi : sed est discrimen Pulchritudinis: Nam in uerbis delicata quædam uenustas ; in sententijs uero maius robur,atq; uirilis dignitas apparet : ut illic, quasi color, & sanguis orationis, hic uero nerui, torique esse uideantur : De numero autem harum exornationum , magnopere inter se discrepant omnes Rhetores . Cic. lib. 3. de Orat. quadraginta octo figuras sententiarum enumerat:& Oratore ad Brutum, quadraginta quinque. Fabius tres & quadraginta : alij multo plures : alij multo pauciores. Nos mediam quandam rationem secuti sumus, quæ scilicet uisa est ad puerilem captum accõmodatior. Neque illud subtiliter disquirendum putauimus, in quo permulti, vt quidem ego arbitror , frustra litigant ; quædam ex istis exornationibus vtrum potius ad verborum, an ad sententiarum figuras referendæ sint. Quod neque satis certe constitui potest , & si possit, ad vsum earum, quem nos vnum docere volumus, aut parum, aut nihil interest.

De Interrogatione, & Subiectione Caput 31.

INterrogatio duplex est, vna simplex & naturalis, qua vtimur alicuius rei sciendæ causa: vt, Vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris? quoue tenetis iter? & hæc quidem ad figuras non pertinet: Altera figurata, quæ non sciscitandi causa assumitur, sed instandi vel arguendi. Cic: Quousq; tandem abutere Catilina patientia nostra? & patere tua consilia non sentis? & totus deniq; hic locus. Quanto .n. magis ar det quam si sic diceretur? Diu abuteris patientia nostra, & patent tua consilia. Hæc figura, sæpe iram, indignationem, miserationem, admirationem, aut alium animi affectum continet: Iram cum indignatione: vt Iuno apud Virg.

——— me ne incepto desistere uictam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem?

Item infra.

——— Et quisquam numen Iunonis adoret?

Miserationem. ut Sinon apud eundem.

Heu quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possut
Accipere? aut quid iam misero mihi deniq; restat?

Admirationem, vt

——— quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? ———

Interrogatio quandoque plus habet ponderis, quam aperta rei probatio, seu confirmatio: vt, Seruare potui, per-

perdere an posſim rogas? quod eſt ardentius quam ſi diceretur, Potui ſeruare, igitur etiam perdere potero.

Subiectio eſt cum ipſimet Interrogationi noſtræ reſpondemus. Terent. Egon' propter me illam decipi miſeram ſinam? Non faciam. Cic. ad Cæſarem pro Ligario. Apud quem igitur hæc dico? Nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me, antequam vidit, Reipub reddidit. Sed venuſtiſsimus huius figuræ uſus eſt, cum ad hanc formam interrogandi, & reſpondendi reuocantur ea, quæ alioqui per particulas condicionales enunciarentur. Chremes Terentianus ad Menedemum, Vel me monere hoc, vel percontari puta: Rectum eſt? ego vt faciam: Non eſt? te vt deterream. Quæ verba maiorem profecto venuſtatē habent, quam ſi ſimpliciter proferantur ad hunc modum: Vt ſi rectum eſt, ego faciam; ſi vero non eſt, te deterream.

De Dubitatione & Communicatione. Caput 32.

Dubitatio eſt cum quærimus vnde incipiendum, vbi deſinendum, quid potiſsimum dicendum, faciendumue ſit. Virg. Eloquar an ſileam? & Cic: Quid primum querar? aut unde potiſsimum Iudices exordiar? Interdum Dubitationi ſubiectio copulatur, vt Geta apud Teren. Cum herus hoc audierit, quod

eius remedium inueniam iracundiæ? loquar ne? incendam. Taceam? instigem. Purgē me? laterem lauē. Huic maxime locus est in principijs orationum, aut confirmationum.

Communicatio est, cum aut ipsos consulimus Aduersarios, aut cum Iudicibus quasi deliberamus. Cic. pro Rabirio, Tu deniq; Labiene quid faceres, tali in re, ac tempore, cum &c.

Item. Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis? cōmunem rem putate, & vos huic esse præpositos. Hæc figura, vel conciliat Auditores, in quorum æquitate nos magnam fiduciam habere ostendimus: vel proterit Aduersarios, quos per speciem consultandi eludimus, ab ijsq; confessionem quandam extorquemus.

De Sustentatione, & Reticentia Caput 33.

SVstentatio est, quæ aliquandiu suspēsos tenet animos Auditorum, deinde aliquid inopinatum subiungit. vt Cic: in Verr: Quid deinde? Quid censetis? furtum fortasse, aut prædam aliquam? Atq; ita cum diu suspendisset Iudicum animos, hæc insuper adiecit, Expectate facinus quam vultis improbum: vincam tamen expectationem omnium &c.

Reticentia est sermonis præcisio, quæ vehementiorem affectum animi designat. Cic. ad Terentiam:

Si perficitis, quod agitis, me ad vos venire oportet. Sin autem: Sed nihil est opus reliqua scribere. Terent. Ego ne illam? quæ illum? quæ me? quæ non? sine modo: mori me malim. & Neptunus apud Virg.

Iam caelum, terramq; meo sine numine uenti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos praestat componere fluctus.

NOTAE.

SVstentationem alij e figurarum numero eximunt, alij ad Cōmunicationem referre malunt; fortasse recte Sed cū hic modus plurimum conferat non solum ad mouendum; sed etiam ad ornandum atq; amplificandum: nobis visum est de illo seorsum præcipere. Etiam Aposiopêsin quidam eandem faciunt cum Eclipsi. Sed differunt quia Eclipsis est cum sine affectu omittitur aliquid, vt frigidam, seu calidam bibere, idest, Aquam: Vesci agnina, uitulina, suilla, idest carne: Hostes absunt bidui, hoc est itinere: Ciuitates non sunt soluendo, idest aptæ, & idoneæ. Quod genus quia propter facilem intellectum sæpissime vsurpatur, figuræ nomen amisit. Aposiopêsis vero est, cum per affectum iræ, indignationis, timoris, doloris vel gaudij aliquid subticetur: quod tamen maiorem uim habet, quam si exprimeretur: Terentius. Quid ais omnium? idest improbissime, scelestissime. Item, Quē ego hodie si sensero, hoc est, quidquam moliri fallaciae, aut astutiae, pessimis modis accipiam. plus est enim quod tacendo relinquitur in animis audientium, quam si totum proferretur.

De Concessione, & Licentia Caput 34.

COncessio siue Permissio, est cum permittimus Aduersario, vt aliquid arbitratu suo faciat, quod

nos tamen fieri non vellemus. Terēt. Effundite,emite,facite quod vobis lubet. Idem. Quid istuc? si tibi ita placet, profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet. Quæ permissio simulata, loco adhibita, expugnat sæpe homines obstinatissimos, quos nullæ probationum machinæ mouere potuerunt.

Licentia est liberius pronunciata sentētia, commonefaciendi, obiurgandi, vel etiam adulandi caussa. Cic. pro Ligar. Vide quam non reformidē, vide quāta lux liberalitatis & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero voce contendam, vt hoc populus Romanus exaudiat. Suscepto bello Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo ac volūtate, ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te. Quibus verbis, dum libere se accusat, maiorem suæ causæ fauorem conciliat, quā si defenderet, vel purgaret. Et Philip. 9. Vos enim P. C. graue dictu est, sed dicendum tamen: vos inquam, Seruium Sulpicium uita priuastis. Sed hæc loquendi libertas, cum ad reprehendendum adhibetur, caute tractanda est, & lenibus verbis, atque sententijs mitiganda, ne offendat animos auditorum.

Quibus modis Reprehensio mitigari possit.
Cap. 35.

Reprehensio vel Admonitio mitigatur his fere modis. Primo si muniatur hisce aut eiusmodi loquendi formis. Quod pace vestra dictum sit, Si mihi

hi apud tam graues Viros tam libere loqui liceat. &, Peto a vobis hanc ueniam, ut patiamini, me quid ſentiam libere aperire. Deinde ſi quos reprehendere volumus, eos antea moderate laudemus. ſic Cic. in Philippicis initio laudat Antonium & Dolabellam, in quos poſtea uehementer inuehitur. Tertio ſi eis quos reprehendimus, nos amicos eſſe teſtemur: & ex illorum errato dolorem capere. Sic Cicero Senatum obiurgaturus ait, Venio nũc ad Conſulares quorum eſt nemo qui non habeat aliquam mecum cõiunctionem gratiæ, alij maximam, alij mediocrem, nemo nullam. Item alibi. Hanc tu tantam dignitatem (magno loquor cum dolore) potuiſti deponere? Quarto cum quaſi coacte, uel ex officio reprehendere nos dicimus. Cic. Philip. 7. Heu me miſerum qui ſemper Senatum laudaui, nunc cogor reprehendere. Quinto cum ipſi quoque, partem culpæ ſuſcipimus, uel in nos totam transferimus: ut, Idcircone Populus Romanus nos Conſules fecit, ut in ampliſsimo gradu collocati pro nihilo Rempub. haberemus? Haberemus, inquit, ſe coniugens: cum alios quoſdam culpare uellet. Tale eſt illud in Catilinam. Nos, nos dico, Conſules deſumus: cum tamen ea culpa ad multos alios pertineret. Sexto lenitur reprehenſio noſtra, ipſius peccati extenuatione, ſi non ſcelus, neq; perfidiam, ſed ignorantiam, imprudentiam, aut ſimplicitatem appellemus, aut deniq; crimen ipſum in alios reijciamus.

NO-

NOTAE.

PRæterea est alius modus licentiæ mitigandæ, fortasse utilior, quam qui proximo capite continentur. De quo tacendum nõ fuit: quandoquidem sæpissime accidit, vt hæc loquendi libertas, non modo apud æquales, sed etiam apud Principes Viros vsurpãda sit. Ergo cum artificiose quempiam monere, aut liberius accusare uolumus: cauendum est, ne uideamur nimium confidere nobismetipsis, & omnem spem reponere in nostris admonitionibus. Sed oportet aliquid illi ipsi, quem reprehendimus, aut hortamur tribuere; atq; ostendere, nos non dubitare, quin ea quæ dicimus, illi quoque in mentem uenerint, & sua sponte facturus fuerit, nisi quippiam obstitisset. alioqui tristitiam quandam capiunt, qui admonentur: quod se plane stultos atque uæcordes haberi uident. Qua moderatione, quia plerique non utimur, eo fit, ut castigationes nostræ perraro in bonam partem accipiantur. Formulæ autem huiusce cautionis, quam dico esse adhibendam in admonendo, vel cohortando, hæ fere sunt, Quod confido te tua sponte facturum fuisse: Quod quidem non est mihi dubium, quin tu quoq; animaduerteris: & Memini te quoque tale aliquid cogitare, idq; agere uoluisse: & Scio te in optimo consilio exequẽdo nonnullis casibus fuisse interpellatum. sunt.n. nonnulli, quibus si aperte suadeas aliquid, quod illi ipsi honestum, atq; utile esse intelligant; tamen aut non faciant, aut minus alacriter faciant: quia sit ab alio animaduersum, neque iam suæ prudentiæ acceptum referri possit. frequenter etiam in eo peccamus, quod ubi minime necesse est, per inanem ostentationem, aut ambitionem intempestiua libertate, non dico utimur, sed abutimur. Verum hæc fortasse tam subtiliter exquirere, Philosophi munus est, non Rhetoris.

De Apostrophe siue Auersione Caput 36.

APostrophe est sermo auersus ab eo qui cum loquimur, vel a re de qua loquimur, ad alium quẽpiam,

piam, vel præſentem, vel abſentem, vel defunctũ, uel etiam ad nosmetipſos. Cicero in Ligariana ſermonem a Cæſare ad Tuberonem ita conuertit. Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maxime optandũ, confitentem reum, ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum patrem tuum. Et Adherbal apud Saluſtium a Romanis ad fratrem mortuum auertit orationem miſerabiliter ad hunc modum: Iam iam Frater animo meo cariſsime, quamquam tibi immaturo, & vnde minime decuit vita erepta eſt: tamen lætandum magis, quam dolendum puto caſum tuum. Aliquando ad res mutas, atq; inanimatas, veluti ad perſonas, transfertur oratio. Cic: pro Milone. Vos enim Albani tumuli atque luci, uos, inquam, imploro atque obteſtor &c. Loquitur autem de Clodio, quem vult iure eſſe interfectum, quia Deorum aras & templa diſturbauerat. Huic figuræ locus eſt in oratione iam incaleſcente, & inclinatis ad noſtram partem auditoribus.

De Exclamatione Caput 37.

EXclamatio eſt per quam intentiore pronunciatione, admirationem, deſperationem, alioſq; animi affectus teſtamur: Admirationem, Cic: pro Marcello, O Clementiam admirabilem atq; omni laude, prædicatione, litteris, monumentiſque decorandam

Deſpera-

Desperationem, Cic. pro Milone: O frustra mei suscepti labores, o spes fallaces, o cogitationes inanes meæ. Indignationem, Idem in Pisonem, O scelus, o pestis, o labes. Optationem, Ouid.

O utinam tunc cum Lacedemona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis.

Aliquando Imprecationem continet. Priamus ad Pyrrhum lib. 2. Aeneid.

At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Dÿ (si qua est cælo pietas quæ talia curet)
Persoluant grates dignas.

Aliquando Irrisionem, Cic. pro Cornelio Balbo, O præclarum iuris Interpretem, auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem nostræ Ciuitatis. Exclamatione vtendum est, vbi rem paulo grauiorem, allatis rationibus confirmaueris, aut refutaueris: & id raro. Nam sæpius exclamare, vel in re frigida, vel statim in principio sermonis, dementium est.

Quibus modis Exclamatio varietur *Cap. 38.*

PArticulæ sunt quædam variandis exclamationibus vsitatæ, En & Proh, quibus indignatio ostenditur: Heu & Eheu, quibus miseratio commouetur. Virg. Eclog. 1.

——————*en quo discordia Ciues*
Perduxit miseros, en queis conseuimus agros.

Te-

Terentius in Andria. Proh Deum, atq; hominum fidem, quid est, si non hæc contumelia est? Virg.

——— *Tu nunc Carthaginis altæ*
Fundamenta locas, pulchramque vxorius Vrbem
Extruis: heu regni rerumq; oblite tuarum:

Item Eclog. 2.

Eheu quid volui misero mihi? Floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros,
Quem fugis, ah demens?

Aliquando istæ particulæ omittuntur, & est nihilo minus Exclamatio. Cic. in Pisonem, Miserum me, cũ hac me nunc peste, atq; labe confero. Huc pertinet Epiphonema vel Acclamatio, idest post aliquam rẽ narratam, augendi causa subiecta sententia, vt Virgilius periculis expositis quæ Aeneã perpeti oportebat, ante quam in Italiã veniret ad vltimum ita acclamat:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Et Tullius in Paradoxis. O Dij immortales, inquit, non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia.

N O T AE.

Licet quandoq; ab Interrogatione aut Exclamatione exordiri orationem, quoties nimirum ex aliquo affectu videri volumus erumpere ad dicendum. Cic. in Catil. Quousque tandem abutêre Catilina patientia nostra? Et ad Atticum lib. 8. Epist. 8. O rẽ turpem, & ea re miseram: Sic enim sentio, id demum, aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit. Sic Gregor. Nazianz. in illa eloquentissima septem fratrum laudatione, Quid autem Machabæi? &c. Quod genus orationis, Ex abrupto nominatur.

Sc-

De Interpretatione, & Congerie, Caput 39.

INterpretatio eſt quoties rem eandem pluribus modis enunciamus. fit autem iſta iteratio duobus modis, pluribus verbis, aut pluribus ſententiis, ſeu clauſulis. Pluribus uerbis hoc modo, Promitto, Spondeo, Recipio. Pluribus Clauſulis hoc modo, Rempub. radicitus euertiſti, Ciuitatem funditus deieciſti. & Aeneas apud Virg.

Quid puer Aſcanius? ſuperat ne & ueſcitur aura
Aetherea? nec adhuc crudelibus occubat umbris?

Nihil aliud quærit, quam uiuat Aſcanius necne: ſed paterno affectu rem eandem aliis, atque aliis verbis expreſsit. Hac figura vtimur, quoties vno uerbo aut uno loquendi genere, non ſatis rei dignitatem, aut magnitudinem demonſtrari poſſe exiſtimamus. Sed in iis quæ iterantur, uidendum eſt, ut aliquo pacto creſcat oratio, & maiorem uim habeant, quæ poſterius collocantur. Præterea illæ ſententiarum repetitiones aliis, atque aliis exornationibus variandæ ſunt ad euitandam auditorum ſatietatem. Congeries eſt cumulus, & coaceruatio dictionum res diuerſas ſignificantium, quæ mirabiliter conducit ad rem aliquam augendam, atque exaggerandam. Terent. Concurrunt laeti mihi obuiam cupedinarii, cetarii, lanii, coqui, ſartores, piſcatores, aucupes. Saluſt. de Catilina,

Animus audax, ſubdolus, varius, cuiuslibet rei ſimulator, aut diſsimulator. Cicero pro Roſcio Amerino accuſatorũ flagitia per congeriem amplificat his verbis. Pater occiſus neſarie, domus obſeſſa, ab inimicis bona adempta, poſſeſſa, direpta: filii uita infeſta, ſæpe ſerro atque inſidiis appetita.

De Incremento, & Gradatione Caput. 40.

INcremẽtum eſt quoties gradatim, uelut ab infimo peruenitur ad ſummum: vt, Obiurgauit, flagris cecidit, ſecuri percuſsit. Liuius. Fudi, ſugaui, Hiſpania expuli. Cicero in Verrem, Facinus eſt vincire Ciuem Romanum, ſcelus verberare, parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Atque hæc Exornatio valet plurimum, non modo ad amplificandam Orationem, ſed etiam ad commouendos auditores.

Gradatio eſt cum quaſi quibuſdam gradibus ita ab vno ad alia tranſitum facimus, vt ſemper proximum verbum repetatur hoc modo: Africano induſtria uirtutẽ, uirtus gloriã, gloria æmulos cõparauit: item, Quæ reliqua ſpes eſt libertatis, ſi perditis hominibus & quod libet licet, & quod licet poſſũt, et quod poſſunt audent atque perficiunt? Sed Gradationis longe venuſtior vſus eſt, ſi cum incremento iungatur, & quaſi binis incedat gradibus hoc pacto: Semiramis poteſtatem nacta imperauit militibus, ut Regem comprehenderent: comprehenditur. vt vincirent: uinci-

tur, ut interficerent: interficitur. Habet Gradatio festiuitatis atque leporis plurimum. Sed cauendum est, ne affectationis nomine suspecta uideatur.

NOTAE.

HVIVS generis exemplum est luculentum apud uirum iucundæ memoriæ P. Franciscum Bencium, in communis Magistri Laudatione. Rogares, inquit, vt perobscurum aliquem aut Latini scriptoris, aut Græci declararet locum? declarabat: vt carmen corrigeret aut orationē? corrigebat: vt epigramma inscriberet in sepulcro? inscribebat; vt eclogium in fonte aut in basi statuæ ponendum excogitaret? excogitabat: vt hæc ipsa recognosceret? recognoscebat. Quod genus etiam ad Repetitiones referri potest.

De Correctione, & Præteritione. Caput 41.

COrrectio, quam alii reuocationem, alii reprehensionem vocant, tollit quod dictum est, & pro eo quod magis idoneum uidetur reponit. Cic. in Verrē. Non enim furem, sed raptorem; non sacrilegum, sed hostem sacrorum adduximus. idē ad Att. In hoc ferendus meus error: ferendus autem? immo etiam adiuuandus. Et senex ille Terentianus, Filium unicum adolescentulum habeo: ah quid dixi habere me? immo habui, Chreme: nunc habeam nec ne incertum est. Præteritio, vel Prætermissio, est cum dicimus nos præterire aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus, vt Non dico te ab sociis pecunias accepisse:

non ſum in eo occupatus; quod Ciuitates, Regna, domos omnium depopulatus es: furta, rapinas omnes tuas omitto: ad rem venio: item, Omitto iuriſdictionem in libera Ciuitate contra leges ſenatuſque conſulta: cædes relinquo; libidines prætereo. Vtimur hac figura, tum, vt ea quæ nimis longa, atq; ampla ſunt breuiter perſtringamus, tũ, vt contracta oratione maiorem ſuſpicionem in auditorum animis relinquamus.

De Occupatione Tranſitione Reiectione. Cap. 42.

OCcupatio ſiue Præſumptio, eſt cum id quod obiici nobis poteſt præoccupamus ipſi atque diluimus, ut Cicero contra Q. Cæcilium, primo obiicit ſibi quare ad accuſandum deſcendat, qui antea ſemper deſenderit: deinde obiectionem diluit, atq; oſtendit illam ſuam, potius deſenſionem, quam accuſationem debere appellari. Huius figuræ frequens uſus eſt in exordijs.

Tranſitio quod dictum eſt paucis repetit, & quid ſit dicendum breuiter proponit. Cic. ad Lentulum, Habes de Vatinio: cognoſce de Craſſo. Item pro lege Manilia, Quoniã de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam & Virg.

Hactenus aruorum cultus, & ſidera Cœli:
Nunc te Bacche canam.

Tranſitio utilis eſt, ad renouandam docilitatem

attentionem: quia est veluti vinculum, quod priora cum posterioribus connectit, & promissi expectatione Auditorum animos erigit, & instaurat.

Reiectio vel Reprobatio, est cum quid ab Aduersario allatum reiicimus, tamquã indignum quod diluatur Cic. pro Sexto Roscio: Verum hæc tu quoque intelligis esse nugatoria: illud quod coepimus videamus. Item, Desinamus aliquando ea scrutari, quæ sunt inania; quæramus vbi maleficium est & inueniri potest. Hac ratione nonnumquam grauia ab aduersariis obiecta argumenta, eludimus.

De Sententia, & Commutatione Caput. 43.

SEntentia est breue dictum ad mores pertinens, quod non solum ornat atque amplificat orationem, sed etiam dicenti auctoritatem, & fidem conciliat, vt Res est omnium difficillima cognoscere se ipsum. Optima vitæ ratio est eligenda, eam iucundam reddet consuetudo. Antidotum vitæ optimũ est patientia, & vox illa generosissima Beati Hieronymi, Omne quod aliquo fine clauditur vanum puto. Huc pertinent, Prouerbia, Apophtegmata, & qualiacumque sapientium hominum pronunciata, vt Artium radices amaræ sunt, fructus autem suauissimi. Quod dictum Demostheni tribuitur.

Commutatio est inuersa sententia per contrarium

um hoc modo. Esse oportet ut viuas, non viuere, ut edas. Cic. Non ex domo dominus sed ex domino domus æstimanda. Idem, Vere dici potest Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Terent. Huncine erat æquum, ex illius more an illum ex huius uiuere? & Calauius Cãpanus apud Liuium: Annibalem modo pater filio meo potui placare: filium Annibali non possum. Huic simillima est Hypallage, cum scilicet Oratio rerum ordine conuerso exprimitur: ut Tot uoluere casus Insignem pietate uirum, idest Tot casibus uolui. Dare classibus austros, idest classes austris.

De Similitudine, & Contraposito. Caput 44.

Similitudo est rei minus notæ demonstratio per rẽ similem notiorem. Ouid.

Scilicet, vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Cic. Vt ignis in aquam coniectus continuo restinguitur, & refrigeratur: sic falsum crimen in purissimam, & castissimam vitam collatum statim concidit, & extinguitur. similitudo non solum ad amplificandum, sed etiam ad docendum confert plurimum: ideoque in rebus obscurioribus ad intelligendum, sæpissime vsurpatur.

Cõtrapositum siue contentio est, cum verba verbis, aut sententiæ sententijs opponuntur, vt Vicit pudo-

rem libido, Timorem audacia, rationem amentia. Item, Odit Populus Romanus priuatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit. Cicero Verrem cum Marcello comparat elegantissimis contrapositis ad hunc modum. Conferte hanc pacem cum illo bello: huius Prætoris aduentum, cum illius Imperatoris victoria: huius Cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto: huius libidines, cum illius continentia: ab illo qui cepit conditas; ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.

De Descriptione, & Prosopopœia. Caput 45.

DEscriptio vel Demonstratio, quam Cic. illustrē explanationem vocat, est oratio sic explicans rē aliquam, personam, locum, tempus, actionem, aut aliud quippiam, vt cerni potius, & coram geri, quam narrari uideatur. Cic. de C. Verre, Ipse, inquit, inflammatus scelere, ac furore, in forum venit: ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. Huius figuræ exempla, plurima apud Poetas, Historicos, Oratores reperiuntur.

Prosopopœia, est personæ fictio per quam res mutas aut inanimas inducimus loquentes. licet enim per hanc figuram mortuos excitare, & regionibus etiam atque Vrbibus sermonem, aut humanos affectus, actionesue tribuere. Cic. si mecum, inquit, patria, quæ mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si om

nis Resp: sic loqueretur, M. Tulli quid agis? & quæ sequuntur. Sed in hoc genere magna quædam uis eloquentiæ desideratur. falsa enim, & incredibilia natura necesse est aut magis moueãt, quia supra uera sunt; aut pro uanis accipiantur, quia uera non sunt.

Qua ratione Tropi, & Figuræ simul misceantur. Caput 46.

RARO est vlla sententia figurata, quæ non ex pluribus aut Tropis, aut Figuris constet. sunt enim ornamenta orationis quædam inter se cognata, quorum alterum ab altero seiunctum vix inuenias. Cic. ad Cæsarem pro Ligario. Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorũ? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? In quo exemplo quatuor apparent metaphoræ; tres maxime illustres ex iis, quæ rebus inanimis actionem, ac sensum tribuunt. Quærit enim ex Tuberone Cicero, quid gladius ageret; quem mucro peteret; quid arma sentirent. Quarta vero ab igne ducitur, cum Ardor animi vsurpetur pro ingenti cupiditate. Metonymiæ duæ: gladius tuus, & arma tua, pro ipso te: Synecdochæ item duæ, mucro pro gladio, & latus pro toto homine: Similiter cadẽs & similiter desinens in illis verbis, Agebat, Pet-' Cupiebas, Optabas: Anaphora in repetitione

dem vocis initio clausulæ, siue commatis, Quid cupiebas, quid optabas: Isocolon in paritate, vel quasi paritate membrorum duorum. Iam quot sunt commata, tot sunt erotemata, siue interrogationes, sententiarum figuræ instandi causa comparatæ. Denique totus hic locus Apostrophe dicitur, quia sermo est auersus a Iudice ad Accusatorem. Ex quo intelligitur quãto plures exornationes concurrant ad grauem aliquã expoliendam sententiam, tanto & pulchriorem, & efficaciorem fieri orationem. Atq; hæc de Elocutione potissima, & maxime necessaria parte Rhetorices dicta sufficiant.

NOTAE.

Ad figuras sententiarum, siue huius, siue superioris ordinis adduntur a plerisque aliæ permultæ dicendi formæ, vt Deprecationes, Obtestationes, Adhortationes, Abominationes, Execrationes, Imprecationes, Admirationes, Indignationes, Obiurgationes, Optationes: quod item in Tropis faciunt, in quibus numerãt Sarcasmos, Myctерismos, Cheleuasmos, Charientismos; ex quibus hi quidem in generalibus Tropis continentur, et frustra seorsũ explicantur. illæ uero planiores, ac faciliores videntur, quã ut inter artificia ornandæ orationis numerari debeant, prǽterquã quod nonnullæ ad Interrogationem, Exclamationem, Apostrophen referuntur. Ac ne illæ quidem, quas nos attulimus, semper omnes, aut in meditandis Orationibus, aut in aliorum scriptis interpretandis, expendendæ sunt: illustriorum duntaxat ratio habeatur: ceteræ, quæ aut per se parum splendoris habent; aut ab aliis nitidioribus obscurantur, longe commodius, atque vtilius [illegible]entur. Nihil est enim, quod maiorem gignat perturba[illegible]n, confusionemque in puerilibus ingeniis, quam ista tan-

ta figurarum, atque Troporum coaceruatio, quorum ne nomina quidem comprehendi, atque teneri possunt. Ergo tam in auctoribus explanandis, quam in mõstranda ratione imitandi, magnopere cauendum esse arbitror, ne minute scrutemur singula, et tertio quoque verbo doceamus inesse aliquid, quod Figuram aut Tropum sapiat: ita ut omnia reuocentur ad artificium, nihil naturali orationi relinquatur.

INTRODVCTIONIS
AD ARTEM RHETORICAM
LIBER SECVNDVS.
ARGVMENTVM.

HOc posteriore libro quatuor reliquæ partes Rhetoricæ explicantur, Inuentio, Dispositio, Memoria, Pronunciatio. Inuentio triplex est, vna inuenit ea, quæ Auditorem conciliāt, altera quæ docent, tertia quæ mouent. Hinc tres potissimæ orationis partes constituuntur, Exordium, quo Auditores nobis beneuolos atq. amicos reddimus, Confirmatio, qua expositis argumentis in sententiam nostram perducimus, Peroratio, qua excitatis animi affectibus, permouemus, nobisque parere cogimus.

Ac quia, vt Ariſt. ait, Enthymemata ſeu probationes proprie ad artem ſpectant reliqua vero ſunt additamẽta: de his paulo accuratius diſputatur, atq. oſtenditur, quibus ex locis argumenta eruenda ſint, ad laudandum aut vituperandum, ad ſuadendum aut diſſuadendum, ad accuſandum aut defendendum. Diſpoſitio quoq. triplex eſt, vna partium in Oratione, altera argumentorum in Confirmatione, tertia propoſitionum in Argumentatione. Ad extremum de Memoria & Pronunciatione dantur regulae, ad vſum adoleſcentium accõmodatæ. Quæ omnia nimiſquam breuiter ac ieiune tradita ſunt, eo conſilio, vt pueri ex M. Tullio fere nudas & ſimplices præceptiones, vnum in locũ contractas atq. ordine diſpoſitas haberent; Magiſtri vero has ipſas inter explanandum dilatarent, & vnamquamq. regulam ſeu præceptum dicendi illuſtribus exemplis, vel ab ſe excogitatis, vel aliunde petitis comprobarent, atq. vberius explicarent.

NTRODVCTIONIS AD ARTEM RHETORICAM.

LIBER SECVNDVS.

De Inuentione rhetorica. Cap. I.

TRia ſunt quæ inuenire debet Orator, ideſt primo quemadmodum eos ſibi concilict, quibus volet perſuadere; ſecundo quemadmodum eis fidem faciat; tertio quemadmodum motum eorum animis afferat. Quocirca in totidem Orationis partibus Inuentio tota conſumitur, Exordio, Confirmatione, Peroratione: quarum prima valet ad animos conciliandos, altera ad docendos, tertia ad permouēdos. Narratio autē ad Cōfirmationem refertur: quandoquidem, ut ait Fabius, non ideo tantū narratur, vt res Iudici nota fiat, ſed magis, ut aſſentiat. Nunc igitur videndum nobis eſt, quæ ſit ipſius Orationis materia, tum de ſingulis eius partibus diſſerendum.

De Materia Orationis rhetoricæ Cap. 2.

MAteria ad dicendum Oratori ſubiecta Quæſtio eſt. per quæſtionem autem intelligimus, non ſolum ea, quæ cadunt in controuerſiā, ut An gerendū

ſit bellum contra Turcas; verum etiam quæcunque oratione explicari, ornari, augeri poſſunt, licet a nemine in dubium reuocentur, vt Virtutem eſſe expetẽdam, & colenda ſtudia litterarum. Tres.n. ſunt diſciplinæ, quæ non habent certam, neq; præfinitam materiam, in qua verſentur; ſed late per omnes artes, atq; ſcientias diffundunt, Grammatica emendate loquendo, Dialectica probabiliter diſſerendo, Rhetorica ornate dicendo.

De partibus oratoriæ Quæstionis Cap. 3.

QVæſtionum duo ſunt genera, vnum Infinitum, quod Græci Theſin vocant, Cic. Propoſitum appellat; alterum certum, ac definitum, quod illi Hypotheſin, noſtri Cauſſam & Controuerſiam nominant. Propoſitum eſt, in quo aliquid generatim quæritur hoc modo, Expetenda ne ſit Eloquentia, & An Vxor ducenda ſit nec ne. Cauſſa eſt, quæ certis Perſonis aut locis aut temporibus aut huiuſmodi aliqua re notatur hoc modo, Expetenda ne ſit Ciuilis eloquentia nobilibus pueris, hoc tempore, hoc loco his præceptoribus, ad res publicas priuataſq; adminiſtrandas, & An Catoni vxor ducenda ſit Seruilia, puella, indotata, his moribus, ea forma, ad ſobolem propagandam. Rurſus Quæſtio tam Finita, quam Infinita duplex eſt, vna quidem Cognitionis, cuius finis eſt Scire, vt an Solis magnitudine multis partibus Terra

ſu-

ſuperetur; altera uero Actionis, quæ refertur ad efficiendum aliquid, vt ſi quæratur quibus officijs amicitia colenda ſit.

De Generibus Orationum *Cap. 4.*

OMnes autem quæſtiones quæcunq; incidere poſſunt, redactæ ſunt a ueteribus ad tria genera ſeu capita, Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale. Genus Demonſtratiuum eſt, quo laudamus uel vituperamus. Deliberatiuum quo ſuademus vel diſſuademus: Iudiciale quo vel defendimus uel accuſamus. Sed in vnoquoq; genere tria ſpectanda ſunt, Tempus, finis, motus: per quæ alterum ab altero facile diſtinguitur. In genere Demóſtratiuo habetur ratio præſentis temporis aut præteriti: eius finis eſt Honeſtas: mouendi ſunt Auditores, vel ad virtutis admirationem, vel ad uitij deteſtationem. In Deliberatiuo ſpectatur tantummodo tempus futurum: Finis eſt Vtilitas: Mouendi ſunt Conſultores ad ſpem, aut reformidationem: In Iudiciali ſpectatur maxime tempus præteritum: Finis eſt Aequitas: mouendus eſt Iudex, vel ad clementiam, vel ad ſæuitiam.

NOTAE.

HÆc Cic. & Quinctilianus vocant Genera cauſarum: Ariſtoteles Genera orationum rhetoricarum: quod nomen mihi commodius viſum eſt, cum alias ob cauſſas, tum maxime ad fugiendam ambiguitatem: quia genera cauſſarum, ex ſententia omnium Rhetorum, dicuntur propriæ ſex illæ Cauſſarum quali-

lita-

litates,de quibus infra agitur in Exordio, Honestum, Turpe, Admirabile &c.

De Partibus Orationis Cap. 5.

PArtes Orationis rhetoricæ sunt quatuor, Exordium, Narratio,Confirmatio, Peroratio. Exordium est Orationis initium, quo Auditoris animus constituitur, & præparatur ad audiendum. Narratio est rerum explicatio, & quædam quasi sedes, ac fundamentum constituendæ fidei. Confirmatio, est nostrorum argumentorum expositio cum asseueratione,& contrariorum locorum dissolutio. Peroratio siue conclusio est artificiosus terminus orationis.

NOTAE.

CIcero in Partitionibus quatuor facit partes orationis, Exordium, Narrationem,Confirmationem, Perorationem: Arist. itē quatuor· sed pro Narratione habet Propositionem.rectè:quia rarus est vsus Narrationis in omni genere.At Propositio, quāquā nulla est fere Oratio sine illa, tamen non videtur inter praecipuas Orationis partes numeranda: potius particula quaedam est, quae vel in fine Exordij, vel in principio Confirmationis collocari solet: quandoq. etiam ipsius Exordij locum occupat, ut in priuatis consultationibus,de quibus postea. Quod nisi essem ueritus a Cicerone, Fabio,alijsq. magnis Rhetoribus nimium recedere : tres duntaxat fecissem partes Orationis,Exordium, Confirmationem, Conclusionem. Et hoc certe commodius est ad discendum, ut Exordium delectet conciliando,Confirmatio doceat disputando, Conclusio moueat incitando.

De Exordio Cap. 6.

EXordiorum duo ſunt genera, Principium & Inſinuatio. Principium eſt quod ſtatim apertis rationibus præparat Auditores ad reliquam orationem audiendam. Inſinuatio eſt Oratio quadam diſsimulatione & circuitione obſcure ſubiens Auditoris animum. Sed tam Principium, quam Inſinuatio ideo ſumitur, vt inter agendum, beneuolos, attentos, dociles habeamus auditores: quæ tria licet per totam Orationem cuſtodienda ſint, & ſæpius renouanda; tamē quia præcipuus eorū locus eſt in Exordijs, hic potiſsimum docere oportet, quæ ſit ratio beneuolentiæ, attentionis, & docilitatis conciliandæ.

De Beneuolentia, Attentione, Docilitate Cap. 7.

BEneuolentia facit, vt libenter audiamur, Attentio, vt diligenter, Docilitas ut intelligenter. Conciliatur autem beneuolentia vel a Perſona, vel a Re. Perſona triplex eſt, Noſtra, Aduerſariorum, Auditorum. Sed tam noſtra, quam Aduerſariorum perſona duplex eſt, quia vtrique ſuum clientem adiungimus, Actorē ſcilicet & Reum. A perſona noſtra beneuolentiā contrahemus, ſi noſtrum officium ſine

arro-

arrogantia laudabimus, vel si cognatione, amicitia, publica vtilitate, aliaue quapiam honesta caussa, nullo odio, aut maleuolentia aut ambitione aut quæstu nos ad dicendum adductos esse affirmabimus: Item si nostrum ingenium & dicendi facultatem extenuabimus, ut magis caussæ bonitati, studioq. Auditorum, quam nostræ eloquentiæ confidere videamur. A persona Rei seu Clientis nostri beneuolentiam captabimus his fere locis: Primum, a Probitate, si eum Virum bonum & liberalem esse dicamus, indignum illa calamitate, & miseria, in quam illum, non sua culpa, sed aliorum iniuria, perfidiaq. coniecit: deinde ab eius infirmitate, inopia, solitudine, veluti si Senex fuerit, pupillus, cæcus, valetudinarius: vel si Femina, virgo, vidua, paupercula

Ab Aduersariorum persona beneuolentiam cōciliabimus, si eos aut in odium, aut in inuidiam, aut in contemptionem adducemus. In odium adducentur, si quid eorum inhoneste, superbe, crudeliter, malitiose factum memorabitur. In inuidiam, si Vis eorum, potentia, diuitiæ, gratia, cognatio, proferetur, atq. eorum usus arrogans, & intolerabilis ostendetur: vt his rebus magis videantur, quam caussæ suæ confidere. In contemptionem adducentur, si eorum Inertia, negligentia, ignauia, desidiosum studium, & luxuriosum otium proferetur. Sed cauendum est ne vltra modum progrediamur, neue homines

potius

potius,quam eorum flagitia odisse videamur. Etiam aliquando Patronus Aduersarii dabit exordium, si eius eloquētiam, ac gratiam Iudici suspectā fecerimus.

A Iudicum vel auditorum persona beneuolentiam captabimus, si res ab his fortiter, sapienter, mansuete gestas proferemus, eosque citra adulationis suspicionem laudabimus: Itē, si nos eorum vtilitati, existimationi, et auctoritati studere ostendemus. A rebus ipsis beneuolentia comparatur, si modeste causam nostram laudando extollimus, & aduersariorum per cōtemptum deprimimus.

Attentos autem faciemus Auditores, si aut de magnis rebus, inusitatis, incredibilibus, grauibus, atrocibus; aut de necessariis, vtilibus, & ad eos, qui audiunt pertinentibus; nos dicturos esse pollicebimur. Sæpe etiam comparatur Attentio, si rogemus Auditores, ut attente nos audiant. quod Cicero frequenter facit. Denique Docilitatem comparabimus, si breuiter, & dilucide summam rei, de qua dicturi sumus exponemus: Item si attentos fecerimus: nam is maxime docilis est, qui attentissime est paratus audire. Nūc vt intelligatur, quando aut Principio, aut Insinuatione vtendum sit, Causæ qualitas, & natura cognoscenda est.

De Qualitatibus, seu Generibus Causarum. Cap. 8.

GEnera Causarum sunt sex, Honestū, Turpe, Dubium, Admirabile, Humile, Obscurū. Honestū

causæ genus est cum aut id defendimus, quod ab omnibus defēdendum videtur, aut id oppugnamus, quod ab ōnibus uidetur oppugnari debere, ut Pro viro forti contra Parricidā. Turpe genus caussæ est, cū honesta res oppugnatur, aut defenditur turpis, ut si laudes ignorātiā, aut vituperes studia litterarū, quod interdum exercitationis caussa fieri solet. Dubium genus est, cum habet in se Causa honestatis, & turpitudinis partem, veluti si quis Patrem furti accusatum defendat, vel amici causam suscipiat aduersus fratrem, aut cognatum suum. Admirabile seu dissentaneum dicitur id, quod est præter opinionem Auditorum, uel quo eorum animus uidetur esse alienior, vt si Fortitudinem laudes apud ignauos, lenitatē apud crudeles, liberalitatem apud sordidos, atque auaros. Humile genus est, cum vilis & contempta res affertur, vt Encomium luti, Muscæ laudes apud Lucianum, & Disputatio de Rep formicarum. Obscurum genus est, cum difficilis res agitur, & ab hominum intelligentia longe remota, ut si quis de Ventorum causis, de Tonitruis, de Fulminibus verba faceret.

Quodnam genus Causae uel Principium uel Insinuationem requirat Caput 9.

SI genus Caussæ honestum fuerit, cum ei sua sponte Auditores assentiantur, possumus aliquando exordium præterire, & uel à Narratione, uel a Partitione,

vel ab ipſa confirmatione initiũ docendi facere: maxime ſi cauſa breuis eſt, & pauculis verbis abſolui poteſt: ut ſunt fere conciones Hiſtoricorum, & Poetarum. Sin Exordio uti libebit; Prĩcipio utemur, & uel ab honeſtate, ipſius rei, uel ab excuſatione officii noſtri beneuolentiam comparabimus, ut id quod eſt honeſtatis augeatur. In dubio cauſæ genere parabitur eodem modo beneuolentia, vt ea pars quæ turpitudinẽ habet, diluatur, & tota cauſſa in genus honeſtum trãſlata videatur. In humili cauſſæ genere ad tollendam rei contẽptionem, faciemus attentum Auditorem: in obſcuro docilem. at in Turpi uel admirabili, ſi non omnino infeſti Auditores erunt, Principio beneuolẽtiam cõparare licebit: ſin erunt vehementer abalienati, confugere neceſſe erit ad Inſinuationem. NAM ab iratis, ſi perſpicue pax & beneuolentia petitur, nõ modo ea non inuenitur, ſed augetur & inflammatur odium. Nunc Inſinuationes quemadmodum tractari conueniat, aperiemus.

De Inſinuatione Caput 10.

INſinuatione utendum eſt, quotieſcunque animus Auditoris infeſtus eſt, atque abhorret ab audiendo. Id autem tribus ex cauſsis fieri ſolet; primo ſi res ĩpſa, de qua agimus, turpis videtur: ſecundo ſi Auditores fuerint ante capti, & perſuaſi ab Aduerſariis: tertio denique ſi defeſsi erunt eos audiendo, qui ante nos dixerunt. Atque hæc tria tempora diligenter

genter

genter animaduertenda sunt. Si causæ turpitudo Infestum reddet Auditorem: aut pro Homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponere oportet; aut pro re in qua offenditur, aliam rē, quæ probatur, aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo quod odit, ad id quod diligit Auditoris animus traducatur. Præterea utile est dissimulare te id esse defensurum, quod existimeris defensurus: dicemus; ne nobis quidem placere quæ facta dicantur ab Aduersariis, & esse scilicet indigna, atque nefaria. quin etiam facti atrocitatem, & turpitudinem amplificabimus; deinde vbi iam mitior factus erit Auditor, pedetentim ingrediemur in defensionem, & nihil simile a nobis factum esse ostendemus. Iuuat etiam si neges, te quicquam de Aduersariis esse dicturum, neque hoc, neque illud: vt neque aperte lædas eos, qui diliguntur; & tamen id obscure faciens, quoad possis, alienes ab eis Auditorum, & Iudicum voluntates.

Si persuasus Auditor fuerit: aut ab aliquo Aduersarii dicto exordiemur, & ab eo maxime quod ille nuperrime dixerit: aut dubitatione vtemur, quid potissimum dicamus, aut cui loco primum respondeamus cū admiratione; aut etiam intrepido animo pollicebimur, nos primum de eo esse dicturos, quod Aduersarius firmissimum sibi adiumentū putauerit. Nā Auditor, cum eum, quem Aduersarii, perturbatum putant sua oratione, uidet animo firmissimo contra dicere paratum: plerumque se potius temere assensisse,

quam illum ſine cauſa conſidere arbitratur.

Sin Auditores deſeſsi erunt audiendo: commodum eſt polliceri, te breuius, quam cogitaueras eſſe dicturum: item ſi res dabit, non inutile eſt ab aliqua re noua, aut ridicula incipere, quæ aut ex tempore nata ſit, aut iam parata; quæ vel apologum, uel fabulam, vel aliquam contineat lepidam, & iocoſam narrationem. Quod ſi rei dignitas adimet iocandi facultatem; aliquid triſte, nouum, horribile, ſtatim non incommodum eſt iniicere. Nam ut cibi ſatietas & faſtidium, aut ſubamara aliqua re leuatur, aut dulci mitigatur: ſic animus deſeſſus audiendo, aut admiratione integratur, aut riſu renouatur.

Plu. in Polit. fol. 3. b. c.

NOTAE.

EXempla omnium Inſinuationum, ſi minus docta, et erudita, (quod hic quidem non magnopere requirendum videtur) ſaltem perſpicua, et ad præſentem rationem valde accommodata, leguntur in ueteribus commentariis ad lib. primum artis Rhetoricæ ad Herennium. Insinuatione usus e Annibal ut in eius Apoph. Ver. Hannibal. fol. 401. num. 29.

De Vitijs Exordij Cap. II.

AD hæc quædam notantur Exordii vitia vel grauiora, vel frequentiora, quæ diligenter cauenda ſunt. Primum ne nimis longum fiat, ſed orationi tamquam corpori caput proportione reſpondeat; Alterum ne ſit vulgare, quod ad plures cauſa

poſsit

posſit accõmodari. Tertium, ne ſit cõmune vel cõmutabile, quod paucis duntaxat mutatis verbis etiam ab Aduerſario poſsit vſurpari: Quartum ne apparatum & ſplendidum nimis, & verbis inuſitatis, aut inſolentibus compoſitum: Quinctum, ne ſit contra præcepta, ueluti ſi docilitatem conciliet, cum eſt opus beneuolentia, vel attentione: Sextum denique, ſi neque beneuolos, nec attentos, nec dociles facit Auditores: tale enim exordium inutile eſt, & ſuperuacuum. Optima vero & probatiſsima exordia ſunt, quæ ex ipſa cauſa veluti nata videntur, & a propoſito nõ aliena. Commendantur etiam in primis verecunda & modeſta, reprehenduntur tumida & inflata.

De Narratione Caput 12.

NArratio duplex eſt; vna ipſius cauſæ, cui locus eſt poſt Exordium, altera rerũ ad Cauſam pertinentium, quæ vbique poteſt incidere, ideoque certum in oratione locum non habet. Sed præcepta vtriuſque ex eiſdem locis petenda ſunt. Tres autem res conuenit habere Narrationem, ut breuis, ut dilucida, ut probabilis ſit. Breuis erit, ſi rem non altius, quam unde erit neceſſe, repetamus, neque longius quàm oportet, ſermonem producamus, ſi nihil extra cauſam afferamus; denique ſi ſummatim, non particulatim narremus. Dilucida erit ſiue perſpicua & plana, ſi uerbis propriis, & vſitatis, ſi temporũ ordine con

ſeruato, ſi nihil contorte, nihil perturbate, nihil ambigue dicatur. Probabilis erit, ſi perſonis, ſi temporibus, ſi locis, ea quæ narrabuntur, conſentient: ſi cuiuſque facti & euenti cauſa ponetur: ſi teſtata & comperta dici videbuntur. Denique ſi erunt omnia ad opinionem eorum, qui audiunt, accõmodata. Et hæc quidem in Narratione neceſſaria ſunt; ſed ad ornandum aſſumimus etiam ſuauitatem. Eſt autem ſuauis Narratio quæ habet Admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates.

N O T AE.

VTiliſsima ſunt præcepta Narrationis, magis adeo ad quotidianos ſermones, et quarumcumque rerum, aut hiſtoriarum commemorationes; quam ad rhetoricas Orationes conficiendas. nam in cauſis demonſtratiuis nulla occurrit ꝓpria narratio, niſi uelis ipſam confirmationem appellare Narrationem, in qua laudes exponuntur amplificando, et ornando: in cauſis uero deliberatiuis, quæ poteſt eſſe propria Narratio, cum de futuris deliberemus? Narratio uero ſit expoſitio præteritorum? Reſtant Iudicia, in quibus ſæpe narrare conuenit, et tamen in his quoq; interdum Narratio deſideratur. vide Fabium lib 4.cap.2.

De Confirmatione, Caput 13.

TOTA ſpes uincendi, ratioque perſuadendi poſita eſt in Confirmatione, ad quam ceteræ orationis partes referuntur. Huius officia duo ſunt. nam &

proba-

probare nostra volumus, & redarguere contraria; Vtrumque consequimur argumentis, quæ quibus ex locis Oratori petenda sint, infra ostenditur, vbi de singulis orationum generibus disputatur. Argumentum est probabile inuentum ad faciendam fidem; uel est Oratio quæ per rem notam probat ignotam, vt si dubitetur, An Vlisses Aiacem interfecerit, hoc, quod ignotum est probabo per alia quædam nota hoc modo, Vlisses Aiacem oderat, eique pluribus locis mortem denunciauerat: præterea iuxta cadauer inuentus est gladium cruentum in manu habens, & interrogatus erubuit, titubauit, & perplexe respondit; deniq: tantum non confessus est; ergo Vlisses Aiacem interfecit. Sed omne argumentum aut ex certis, aut ex probabilibus constat: certa sunt ea omnia, quibus aduersarius non contradicit, vt Deum esse colendum, Honorandos Parentes, Tutandam Patriam; & denique omnia quæ legibus aut moribus constituta sunt. At Probabilium triplex est genus, vnum firmissimum, quod fere accidit, vt Liberos amari a Parentibus: alterum propensius, ut Eum, qui hodie valeat, in crastinum esse victurum: Tertium dumtaxat non repugnans, ut Furtum ab eo factum esse, qui domi fuerit. Et quoniam argumenta tam certa, quam probabilia variis modis tractantur ab Oratore: res postulat, vt de Argumentatione, eiusque formis aliquid præcipiamus

De Argumentatione Caput. 14.

ARgumentatio est argumēti explicatio, vel artificiosa expolitio. cuius formæ numerantur decem Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum: & hæ quidem tam Dialecticis, quam Oratoribus communes sunt: Ceteræ magis propriæ sunt Oratorum, & rarius a Dialecticis usurpantur, Dilemma, Inuersio, Sorytes, Enumeratio, Comparatio, & Inductio oratoria: de quibus singulis, quantum ratio Introductionis fert, facile ac breuiter differemus.

De Syllogismo, & Enthymemate Caput. 15.

SYllogismus qui dicitur Oratorius, fere constat ex quinque partibus, Propositione, Ratione, Assumptione, Approbatione, Complexione. primum .n. necesse est proponere aliquid generatim, ex quo omnis vis emanet ratiocinationis; deinde hoc ipsum ratione munire; tertio ex vi Propositionis assumere id, quod velis ostendere; tum id quoque adductis rationibus comprobare; postremo Complexionem inducere, & rem concludere ad hunc modū. esto hæc Propositio: Omnes Artes & disciplinæ liberales expetendæ sunt. Ratio: quia illæ optimis institutis animum informant, & perficiunt hominem, qui alioqui a Brutis animātibus nonmultum differret. Assumptio: At Rhetorica est vna artium liberalium. Approba-

tio

tio: non enim manuum ministerio, sed ingenii viribus exercetur, & in omni libero populo semper floruit, semperq; dominata est. Complexio: Ergo Rhetorica est expetenda. Sed hæc multo vberius, atque splendidius tractantur ab Oratore. Quod si Propositio, aut Assumptio, aut vtræq; tam certæ ac perspicuæ fuerint, vt probatione non egeant, fiet Argumētatio quadripertita vel tripertita; nimirum dempta Ratione, atque Approbatione, hoc modo. Omne vitium est fugiendum, Auaritia est magnum vitium, ergo magnopere fugienda est. Enthymema, est syllogismus imperfectus, nempe à quo abest Propositio, vel Assumptio. vt Omnis Virtus est laudabilis: igitur Fortitudo est laudabilis, vel Fortitudo est Virtus: igitur est laudabilis. hic Propositio, illic Assumptio desideratur.

NOTAE.

ENthymema proprie dicitur a Rhetoribus, quod ex contrariis propositionibus constat: vt si fugienda est Auaritia, sequitur vt expetenda sit Liberalitas. Si veniam meretur, qui imprudens læsit, ergo ei qui imprudens profuit haberi gratiam non oportet. Horat.

Quem res plus nimio delectauere secundæ
Mutatæ quatient.

Cic. Quid? cū fateamur satis magnā uim esse in vitijs ad miserā uitā, nonne fatendū est, eandē vim virtuti esse ad beatā vitā? Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Verum hæc, more iam in scholis recepto, non simpliciter Enthymemata, sed cum adiunctione, A contrarijs, nuncupantur.

De

De Inductione, & Exemplo. Caput 16.

INductio est congeries multorum singularium ad probandum aliquid uniuerse, siue communiter: ut Pisistratus Tyrannus infelicem exitum habuit, Item Phalaris, Dionysius, Nero, Caligula, & alii plurimi. Ergo omnes Tyranni infelicem exitum metuere debent. Exemplum est Inductio imperfecta, nempe in qua ex vno aut paucis singularibus aliquid uniuerse concluditur, vt Dion quia hieme nauigare voluit naufragium fecit: ergo hieme nauigandum non est. & Sextus Pompeius impar viribus facile oppressus est ab Augusto, item Lepidus, & Antonius: ergo cum potentioribus pugnandum nõ est. Expositæ sunt quatuor argumentandi formæ, quibus omne argumentũ explicari potest: nam quæ deinceps sequentur, genere eaedem sunt, tractatione differunt.

NOTAE.

QVAE duæ formæ argumentationis hoc capite continentur cõtrariæ sunt duabus superioribus: nã in syllogismo, Enthymemate progredimur ab vniuersalibus ad singularia, siue minus communia: siquidem Propositio fere semper latissime patet, Assumptio minus late. Complexio in angustum redigitur: hic autem contra ex rebus certis, et singularibus, inducitur conclusio generalis atque communis.

De Dilemmate, & Inuersione Cap. 17.

DIlemma eſt Argumentatio ex duabus membris repugnantibus conſtituta, quorum utrumuis conceſſeris, reprehenditur. Cicero patriam cum Catilina ſic loquentem inducit: Diſcede, atque hunc mihi timorem eripe: ſi uerus, ne opprimar: ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam. Cur ego illũ puniam? ſi probus eſt, imprudens fecit, & meret ueniam: ſin improbus, non emendabitur. Longiore oratione uti non debeo: nam ſiue placui, iſta ſatis ſunt quæ diſſerui; ſiue diſplicui, plus ſatis. Dictum eſt autem Dilemma, quod utrinque feriat aduerſarium: Cicero Complexionem vocat: alii ſyllogiſmum cornutũ: ſic enim argumẽtationis quaſi cornua in eo diſponuntur, ut qui alterũ effugerit, in alterũ incurrat.

Inuerſio eſt argumentatio in aduerſarium retorta: vt Falſo de me quereris, quaſi te oderim, quia verbero: odiſſẽ potius, ſi non verberarem, & te luxu corrumpi ſinerem.

NOTAE.

INuerſio ualet maxime ad ea Dilemmata refellenda, quæ conſtant ex propoſitionibus aut falſis aut ſaltem non neceſſariis, vt Si quis probare contendat, Fruſtra eſſe Introductionem rhetoricam, quia pueri ingenioſi antiquos Rhetores audire poſsint; hebetes vero ne hunc quidẽ ſatis poſsint: per Inuerſionẽ retorqueri poteſt Argumentũ hoc modo, Immo utilis eſt Introductio, ſiue ingenioſis, ſiue tardis: hi nãq; hãc rationẽ percipiẽt, quia facilior eſt;

illi antiquos melius intellīgēt ab hac adiuti. Aliam rationē refellendi hæc Dilemmata, quæ Antistropha seu reciproca dicuntur, leges apud Aul. Gellium lib. v. cap. x. et xi.

De Soryte & Enumeratione Cap. 18.

SOrytes est coaceruatio propositionum, quibus veluti gradibus ad conclusionem descenditur hoc modo, Intemperantia parit animi & corporis aegritudines, Aegritudo vitiat atq. corrumpit ingenium, ingenia vitiata non sunt idonea ad speculandum; Ergo intemperantes ad magnarum rerum scientiam peruenire, non possunt. Item, Græcia vniuersa regebatur ab Atheniensibus, Athenienses à Themistocle, Themistocles ab Vxore, Vxor à filio; Ergo ab vno puero tota Græcia regebatur. In hac argumentatione necesse est attributum seu prædicatum, vt vocāt, primæ propositionis fieri subiectum secundæ, & ita deinceps, quousque perueniatur ad Complexionē, in qua subiectum primæ iungi debet cum prædicato extremæ propositionis. Hoc argumentum recentiores vocant A primo ad vltimum, & est persimile Gradationi, nisi quod illa ad ornandum, hoc vero ad probandum assumitur; ideoq. in Gradatione conclusio desideratur, in Soryte subiungitur necessario.

Enumeratio duobus modis conficitur, primo expositis, atq. infirmatis omnibus partibus, aliquid necessario excluditur: vt Non Senator es, non Eques, non Plebs, ergo Ciuis Romanus esse non potes. Item

Rhe-

Rhetorica non est Prudentia, non Iustitia, non Tẽperantia, non Fortitudo; ergo non est virtus. Deinde secundo modo reliquis partibus infirmatis, vna necessario concluditur: vt, Quod Furtum domi meæ factum est, id oportet vel a te, vel a Lucio, vel a Paullo esse factum, quia præter vos tres nemo domi fuit: At mihi compertum est neq. Lucium, neq. Paullum fecisse, sequitur vt tu feceris. Hanc argumentationem vulgus vocat, A sufficienti partium enumeratione.

De Comparatione & Oratoria Inductione.

FEre nulla est caussa vel publica vel priuata, quæ non admittat aliquam comparationem: ideoq. hic modus argumentandi, etiam ab imperitis, sæpissime vsurpatur. Tractatur autem Comparatio tribus modis, A maiori, A minori, A pari. A maiori argumentatio vocatur, cum persona siue res maior probationem præstat, minor concluditur: vt, Qui parentes violauit, multo magis cognatos atq. amicos violabit. &, Qui Sacrilegium fecit; furtum faciet multo magis. Contra A minori dicitur argumentatio, cum persona siue res minor probationem præstat, maior concluditur. Cicero, Mortem, quam etiam virgines Athenienses pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis timerem? idest, contemnerem multo magis. & Ouid.

Vt corpus redimas ferrum patieris et ignes,
Arida nec sitiens ora lauabis aqua:
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore maius habet.

Item Horat. ——— *nam cur*
Quae laedunt oculos, festinas demere: si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?

Deniq. A pari formatur argumentatio, quoties paria inter se conferuntur: vt, Licuit Catoni sequi bellum ciuile; Ergo licebit etiam Ciceroni. Si uxor viro fidem præstare debet; Ergo etiam vxori uir debet. Huic tertio generi simillima est Inductio, quæ dicitur oratoria, siue Socratica, in qua ex multis exemplis paribus, concluditur aliquid singulare: Cic. si Tutor fidem praestare debet, si socius, si cui mandaueris, si qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator. Atq. hæc de Argumentatione, formisque eius dicta sufficiant, quæ tam ad confirmandum, quam ad refellendum valent. Nunc extremam orationis partem absoluamus.

NOTAE.

COmparatio non tantum in locis argumentorum, sed etiam in formis argumentationis numeranda est: quandoquidem quid est aliud Comparatio, quam syllogismus per quandam collationē enunciatus? ad quē facile reuocari potest hoc modo. Quātò quæque res nobilior ac præstātior est, tāto diligētius curari debet: Animus multo nobilior est quā corpus: ergo diligentius excolendus atque curandus est. Hoc etiam in reliquis argumentandi formis

formis fieri poteſt. Exempla ſubijcere neceſſe non eſt. Interpres ipſe pro captu diſcipulorum ſuorum conuertet, referetque ſingulas formas ad Syllogiſmum. Inductio Oratoria ſæpe adhibetur per interrogationẽ fere hunc in modum. Quod eſt pomum generoſiſsimum? nonne quod optimum? qui nam equus generoſiſsimus? nonne qui optimus? & domus, veſtes, prædia, non ne nobiliſsima ſunt, quæ ſunt optima? certe. Ergo etiam homo nobiliſsimus haberi debet, non qui claris maioribus ortus eſt, ſed qui virtute, & probitate ceteris præſtat. Quæ argumentandi forma ideo Socratica dicitur, quod ea Socrates plurimum vtebatur. Sed hæc ſubtilius, atq. acutius diſputantur a Dialecticis: ex quorum fontibus hoſce paucos, vt ita dicã, riuos deduximus, ad irriganda, et præparanda ingenia Iuniorum; cetera deinceps commodiore loco, et opportuniore tempore apud Ariſtotelem aut Ciceronem explicaturi. Si quis autem hæc atq. alia quæcumque veteres aut recentiores de arte dicendi præceperunt, vnum in locum congeſta, et facili nouoq. ordine tractata cognoſcere velit: ei auctor fuerim, ut legat Ludouicum Carbonem, virum multa eaq. recõdita litterarum varietate ornatum, Præceptorem olim meũ, cuius de Rhetorica vniuerſa libri tres et viginti verſantur in manibus eruditorum.

De Peroratione Cap. 19.

PEroratio ſiue Concluſio, quam Graeci Epilogum nominant, fere duas habet partes, Enumerationem & Conqueſtionem. Enumeratio eſt breuis potiſſimorum argumentorum repetitio, qua redeat in memoriam Auditor, quid per totam orationem dictum ſit; totamque ſummatim cauſſam recognoſcat. Sed ea adhibenda non eſt; niſi cum Orator diffidit memoriæ Auditorum aut cum ea quæ dixit, longiora, vel impeditiora fuerunt. Hic tamen cauendum

dum eſt, ne ſingulæ particulæ repetantur, ſed ſumma rerum capita breuiter perſtringantur: præterea varijs dicendi formis diſtinguatur, atq. ornetur Oratio: nihil enim eſt odioſius illa nuda, & ſimplici repetitione, quæ vel Oratoris ieiunitatem, vel inanem memoriæ oſtentationem declarat.

De Conqueſtione Cap. 20.

CONqueſtio, quam alij Commiſerationem, alij Indignationem, vel Amplificationem nominãt, eſt per quam Auditores ad amorem, ad iram, ad miſericordiam, & ad quemuis animi motum acriter impelluntur. Quo in genere cum multa præcipi poſsint: nos paucis admonitionibus contenti erimus. Primo in promptu ſint illæ verborum, ac ſententiarum exornationes, quæ ad mouendum, atque ad amplificandum valent: de quibus lib. ſuperiore ſatis diſputatum eſt. Deinde affectus animi per totam orationem cõmoueantur; ſed in Exordio lenes ac placidi, in Narratione breues & rari, in Confirmatione tum acriores, tum etiam crebriores, pro magnitudine rerũ de quibus agitur: modo vnum memineris non mouendos eſſe affectus, niſi vbi rem aliquam vel probaueris, vel infirmaueris. locus vero maxime proprius affectuũ mouendorum, eſt Peroratio, in quam Orator omnem vim ſuam effundere debet; precari, obteſtari, lacrymari, mortuos etiam, ſi res exigat, excitare, terrere, obiu-

obiurgare, denique totis ingenij viribus ad victoriam contendere. Præterea necesse est ut Orator eo motu afficiatur, quo alios affici velit: bene enim Horatius. Si uis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi. Vt enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni, ignem concipere posit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim Orationis parata, quæ posit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam & ardens accesseris. In primis vero accedat pronunciatio non frigida, neque languida, sed incensa, & lacertosa, quæ rebus quasi vitam tribuere videtur quod is facile præstare poterit, qui rem penitus animo conceptam habeat, & Clientis personam ita susceperit, vt se suam caussam agere existimet, non alienam. Postremo in Conclusionibus illud maxime seruandum præcipitur, vt breues fiant, ne vel inflammatus Iudex refrigescat vel miseratione motus alio se mente, & cogitatione conuertat. Nihil enim lacryma citius arescit, præsertim in alienis malis.

De Genere Demonstratiuo Cap. 21.

TRia genera Orationum antea definiuimus. Demonstratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale: nūc vnumquodque per se breuiter, & perspicue declarabimus, & locos cuiusque generis proprios indicabimus, vnde Oratori argumenta ad laudationes, ad cō-

ſutationes, & ad Iudicia ſuppeditantur. Genus Demonſtratiuum ex eo nominatum eſt, quod quale ſit aliquid demonſtrat, vel laudando, vel uituperando uel narrando, uel docendo. Ad hoc genus pertinet Gratiarum actio, Expoſitio hiſtorica, Gratulatio, Lamentatio, Cõmemoratio beneficiorum, Exprobratio, Inuectiua, & ſi quæ ſunt alia generis eiuſdem. Laudantur autem, vel uituperantur dumtaxat hæc tria, Perſonæ, Facta, Res: Perſonae, ut Cæſar, Hannibal, Helena, Lucretia: Facta, ut Factum Horatij Coclitis, aut Mutij Scæuolæ: Res, vt cetera omnia, quæ neque perſonæ ſunt, neque facta, vt Eloquentia, Ius ciuile, Pax, Bellum, Agri, Vrbes, Flumina &c.

De Laudatione Perſonarum Cap. 22.

IN hominibus ſiue uiuis, ſiue mortuis laudandis hũc fere in modum diſponetur, ac conſtituetur Oratio. Exordia in hoc genere liberiora ſunt, quam in Deliberatiuo, & Iudiciali: ſæpe autem ab aliquo ducuntur affectu velut a querela, a gratulatione: Item à ſtudio, & officio, a rei magnitudine, aut virium noſtrarum extenuatione; per quæ beneuolos, attentos, dociles facimus Auditores. Narratio nulla ſolet incidere, niſi priuatarum actionum, quæ occurrunt inter laudandum. In eius locum ſæpe ſuccedit Propoſitio, ſiue Partitio: per quas oſtendimus, quot, & quibus de rebus & quo ordine dicendum ſit. Confirmatio eſt ve-

luti quædam perpetua Narratio, in qua nõ argumẽtis contenditur, sed laudes exponuntur per Amplificationem. Conclusio leniores affectus continet: quibus Auditores vel in admirationẽ rapimus, vel ad imitationem hortamur, vel gratulamur, vel consolamur. Loci autem ex quibus petuntur laudes, hi sunt fere, quos infra ordine recensuimus.

Vnde Hominum laudes petantur. Cap. 23.

PErsonæ tripliciter laudantur, primo ab ijs, quæ vitam antecesserunt; deinde ab ijs, quæ viuentibus contigerunt; postremo ab ijs, quæ post mortem sunt consecuta. Quæ uitam atq. ortum hominis anteueniunt, hæc sunt, Natio, patria, parentes, maiores: quorum & nobilitati respondisse, & ignobilitatem illustrasse pulchrũ est; dedecori fuisse, turpe; qua occasione proferendæ sunt res a maioribus fortiter ac præclare gestæ, item signa & prodigia, si qua eius natalem antecesserunt. Quæ in uita eueniunt hæc sunt, Nomen, bona animi, bona corporis, & fortunæ: quæ magnam ac prope infinitam laudum copiam suppeditare possunt: In pueritia potissimum habetur ratio Educationis in qua spectatur ingenium puerile, indoles, docilitas, institutio, cura Parentum, & Præceptorum: nam bene honesteque educatum esse laudabile est; incuriose ac negligenter non honestum.

In Adoleſcentia ſpectantur mores, & laudatur ſtudium virtutis, ac ſapientiæ: hic dicendum eſt quomodo vitã egerit, apud quos vixerit, quibus vſus Præceptoribus, quibus aequalibus, quibus ſtudijs, quibus artibus delectatus. In Iuuentute atq. aetate maturiore commemorantur, Vitae genus, condicio, fortuna: laudantur facta præclare, prudenter, iuſte, fortiter, moderate; idque tum publice, tum priuate: In ſenectute Conſilium, & pietas; item Conſtantia religio, & fiducia in morte obeunda. Poſtremo laudes ſumũtur ab ijs, quæ poſt mortem extiterũt: ea ſunt Honor, pompa funebris, fama, litterarum monumenta, ſtatuae aliaque honoris inſignia. Vituperaturus omnia in contrarium torquebit, referetque generis humilitatem, malam educationem, ſordes, ingluuiem, libidinem, ceteraque ſimilia, quae inuidiam atq. odium creant. Confutatio rarius incidit; ſi tamen occurret aliquid inter laudandum, quod reprehenſione dignum ſit, id vel defendendum erit, vel excuſandum, vel ſi neutrum fieri poterit, ſilentio praetereundnm.

Item de Perſonarum laudibus alia via colligendis Caput 24.

EST & illa vulgaris, & uſitata laudum partitio, quæ colligitur ex bonis Animi, Corporis, & Fortunæ. Bona animi ſunt Indoles, & bonitas naturae, docilitas, celeritas ingenij, memoria, eruditio, probitas, pietas, huma-

humanitas, beneficentia, moderatio, prudentia, & denique omnes virtutes, & bonæ artes: in quibus explicandis, aut ætatis, aut rerum gestarum ordinem sequi conuenit: Sed est cauendum ne longius ab Historico rerũ ordine recedamus. Corporis bona sunt, Forma, valetudo, vires, velocitas. quæ si cui contigerunt, magnum ceteris dotibus ornamentum afferunt. Fortunæ bona dicuntur, quæcunque commoda, vel optabilia extra nos sunt, ut Patria, genus, opes, honores, auctoritas, amicitiæ, clientelæ, liberi, propinqui, & quæ sunt generis eiusdem. Sed ex his tribus, quæ cõmuni appellatione dicuntur bona, quanto quæque interiora sunt, & ad nobiliorẽ animi partem spectãt, tanto etiam laudabiliora habentur. itaq. merito primum laudis locum Animus occupat, alterũ Corpus, tertium Fortuna. immo si potius rectam rationem, quam vulgi opinionem sequamur, sola animi bona ueram merentur laudem: & solæ animi sordes uerã uituperationem. nam diuitiæ, uires, imperia, non ideo laudantur, aut uituperantur quod habuerit quis ea, sed quod ijs bene, uel male usus fuerit.

De laudatione Factorum & Rerum Cap. 25.

FActa laudantur eodem modo: nisi quod Propositio fere per Comparationem adhibetur ad hunc modum. Inter omnia, quæ post homines natos ad nostram memoriam peruenerunt, fortissimum & cla-

tissimum mihi esse uidetur Horatij Coclitis insigne facinus, de quo &c. Occurrit etiam aliquando Narratio, cum factum ipsum de quo dicturi sumus ignoratur a populo. At in rerum laudatione frequenter exordimur ab aliqua insigni laude eius rei, de qua dicimus: quandoque etiam omisso diligentiore exordio, Propositio ipsa primum in Oratione locum obtinet, & adhibetur per commendationem, ut Muretus Historiam Romanam laudaturus, ita orationem exorsus est: Neque pars vlla studiorum humanitatis aut amoenior est, aut fructuosior quam historia: neque ullius gentis historia est, quæ cum historia populi R. aut magnitudine, aut pulchritudine, aut omnis generis exemplorum copia & uarietate cõtendat: &c. Tum, si uidebitur, tota Oratio distribuetur in capita, & quo ordine propolueris, eo perges exponere amplificando, atque ornando. Confirmatio rerum atque factorum præter locos laudandi, de quibus supra memorauimus, habet etiam locos rationesque generis deliberatiui, Honestum, Vtile, Necessarium. Oportet enim id quod laudandum suscepimus tale uideri, ut uel necessario faciendum fuerit vel plurimum in se utilitatis, atque honestatis habere uideatur. Peroratio potissima repetit argumenta, & affectus ad præsentem caussam accommodatos mouet. Vituperationem uero ex contrarijs locis, ut supra docuimus, colligere facile est.

NO-

NOTAE:

AD eundem fere modum Loca laudantur, Regiones, Flumina, Fontes, Vrbes, domus, agri, montes, aliaque innumera: etiam bestiae quaedam, ut Leo, Equus, Aquila, Bombyces, Apes, Araneae. Regiones laudantur ab antiquitate, & primis cultoribus, a Principibus, ab amplitudine, situ, amoenitate, aeris clementia, ac salubritate, a fluminibus, lacubus, mari, vrbium frequentia, celebritate, fertilitate, ac frugibus; ab animalibus, a tuto itinere, a uirtute bellica, humanitate, studijs. Vrbes etiam laudantur ab Antiquitate, origine, conditoribus, situ, munitionibus; a Caeli temperie, atque amoenitate, ab aquis, a domorum elegantia, vicorum multitudine, et munditie; a variarum rerũ copia, a Principibus, Reip. legibus, et institutis, religione, et scholis, a populi frequentia; ab ingeniis, & studiis, a fortitudine, et urbanitate. Flumina laudantur ab ortu, scaturigine copiosa, uelocitate, colore, a piscium generibus et multitudine, ab aliis fluuiis quos recipiunt, a locis quae alluunt, a nauium frequentia, et aliis commoditatibus. Domus laudantur ab amplitudine, figura, materia, a situ, et prospectu, ab horto, a puteo, uel fonticulo, ab atrio, penetralibus, cubiculis. In agrorum commendatione spectari solent haec, Amoenitas loci, fertilitas et ubertas frugum et fructuum, uarietas pomorum, arborum, et herbarum genera, cultura, praedia. Montes laudantur, a magnitudine, a radicibus, miraculis et prodigiis, a rebus memorabilibus, a fontibus, a frugum ubertate & copia. Quae omnia ex Arist: Cicerone, Quinctiliano diligenter collegit, atque in hunc ordinem disposuit Cornelius Valerius Vltraiectinus.

De Genere Deliberatiuo Cap. 26.

IN consilio dando, vt supra scripsimus, omnia ad vtilitatem referenda sunt, quae tamen ab honestate seiungi non debet. Huc pertinent Hortationes

admonitiones, consolationes, commendationes, promissiones, petitiones. In hoc genere ita propemodum conficietur Oratio. Semper aliquo exordio utendum est, modesto tamen, ac breui. nam neque arrogans, neque abrupta placere potest Deliberatio. Sumitur autem exordiũ maxime ab officio personae, vt Orator dicat, se nullo odio, studio & affectu; sed caritate, officio, & alia quapiam honesta ratione accedere, tam ad suadendum quam etiam ad dissuadẽdum. Maxime autem probantur exordia, quæ vel ab aliqua insigni vtilitate, vel ab vrgenti necessitate ducta sunt, qualia frequẽter legimus in Historijs. Narrationem priuata deliberatio non admodum requirit: habet enim satis cognitam suam caussam is, cui consilium de priuatis negotijs damus. At in publicis deliberationibus, præsertim paullo grauioribus, Narratio fere semper occurret, cum docere oporteat multitudinem, quid illud sit, ex quo nostra deliberatio nascitur, ut in oratione pro lege Manilia, narrat Cicero, bellum geri cum potentissimis Regibus, vnde nascebatur consultatio de Imperatore deligendo. Propositio nunquam plane omitti potest: ea fere per Amplificationem efferenda est hoc pacto, ut si Pacem suasuri paucis proponamus nos de Pace humanæ societatis conseruatrice consilium esse daturos. Partitio rerum ordinem de quibus dicturi sumus ostendit; ea quoque in suadendo prodest plurimum. Confirmatio sex potissimum habet locos, ex quibus ar-

argumenta petuntur ad omnem caussam deliberandam; ij sunt Honestum, Vtile, Iucundum, Possibile, Facile, Necessarium. quorum vnumquodque quid valeat videamus.

De Locis unde argumenta petuntur ad Suadendum & Dissuadendum Cap. 27.

HOnestum dicitur, quod sua ui & natura laudabile est, propterq; se expetendum. hoc omnes virtutes disciplinasque complectitur, atque omne, quod sacris aut profanis legibus continetur: praeterea quidquid ad retinendam existimationem, aut fugiendam infamiae suspicionem attinet. Vtile dicitur, quod non propter se, sed propter fructum & commodum expetitur. Vtilia primo sunt ea, quae ad uitam tuendam, & ad salutis conseruationem spectant: proxima quae ad augendam rem familiarem. sunt etiam vtilia quaedam cum honesto coniuncta, vt Gloria, Dignitas, Amicitia, & quae sunt similia. Ad Vtile Tutum refertur, quod positum est in tuenda sine periculo incolumitate sua & suorum. Iucundum est, quod honesta quadam voluptate, aut animum, aut corpus, aut vtrumq; delectat. Possibile, est quod fieri vel esse natura potest: vt contra, id quod non potest, Impossibile. Facile dicitur, quod nullo vel non magno labore, sumptu, molestia, quam breuissimo tempore fieri potest. In quo spectantur haec at

tri-

tributa, seu circumstantiæ. Tempus, Locus, Occasio, Modus, Instrumentum, & alia huiusmodi, quæ si absint; id quod dicimus, facile ad efficiendum non videbitur: Contrarium huic difficile, quod magno quidem labore, spatio, sumptu, molestia, sed effici tamen potest. Necessarium duplex est, alterum absolutum, quod in consultationem non cadit, vt Moriendum sit nec ne: alterum cum condicione, quod a Fabio, itemq; a Tullio in Partitionibus oratorijs ad vtilitatem refertur, ut Necesitas non sit aliud, quam Vtilitas necessaria, sine qua salui, liberi, honesti esse non possumus: vt si dicas, Necessarium esse dedere Vrbem, nisi fame perire malis· item Liberare socios, defendere fines, si dignitatem retinere, si officium tueri, si vitam seruare volumus. Verum ex his quædam recte ad honestum referri possunt.

Quae maxime in Deliberationibus spectanda sint. Cap. 28.

IN suadendo potisimum exaggerandæ sunt Vtilitas, & Facilitas. Incommoda uero, & quæ difficilia videbuntur extenuanda. Sed deliberationem nihil magis urget, quam Necessarium. exemplo sit illa hortatio Catilinæ ad Coniuratos. Vobis, inquit, est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior; denique quid reliqui habemus præter miseram animam? quin igitur expergiscimini? præterea

rea exemplis maxime hoc genus orationis eſt illuſtrãdum. nam futura e præteritis certius colliguntur; & ſucceſſu alienæ fortunæ audiẽtium animi vel demittuntur, vel eriguntur. Suadet Fabius Maximus in Senatu, ne P. Scipio in Africam traijciat. Dies, inquit me deficiat, ſi Reges, Imperatoreſq; temere in hoſtium terram tranſgreſſos cum maximis cladibus ſuis, exercituumque ſuorum enumerare velim: Deinde vetus affert Athenienſium exemplum, qui claſſe in Siciliam tranſmiſſa, Remp. ſuam in perpetuum afflixerunt: & nouum M. Attilij, qui in ea ipſa Africa, annis ante quadraginta in prælio victus & captus eſt. Iam Dehortationes ex contrarijs locis facile colliguntur, Turpi, pernicioſo, moleſto, difficili, periculoſo, impoſsibili: Atque hæc de Confirmationis locis innuiſſe ſufficiat. Peroratione colligenda ſunt argumenta potiora & firmiora, tum mouendæ animi affectiones, in Senatu leniores, in Concione acriores vehementioreſq; . aliter enim cum imperita multitudine, aliter cum prudenti Concilio agendum eſt.

De Genere Iudiciali *Cap. 29.*

AD Genus Iudiciale pertinent Accuſationes, Defenſiones, Delationes, Expoſtulationes, Apologiæ, Expurgationes, Obteſtationes, quorum omnium finis eſt Aequitas. Partes Orationis in hoc genere omnes adhibentur. In Exordio beneuolentiã

con-

conciliabimus, aut a noſtro officio, aut ab eius, pro quo dicimus, commiſeratione, aut ab Aduerſarij, qui periculum innocenti faceſſat, inuidia ſiue odio; aut deniq; a perſona Iudicum, aut Principis, aut Imperatoris, eorum res ante geſtas, aut decretas, aut iudicatas extollendo: Attentio magnitudinem, grauitatéque cauſſæ commemorat: Docilitas perſpicuitatem et breuitatem pollicetur. Narratio rem geſtam ita exponit, vt multas hinc inde ſuſpiciones, tamquam ſemina argumentorum interſpergat. Ea ſæpius adiunctam habet Partitionem, quæ dicendi ordinem & capita Orationis complectitur. Confirmationis loci pro ſtatuum varietate ſunt diuerſi. Concluſio firmiſsimas rationes repetit, & Iudicem omni ratione ad eas animi affectiones, quas cauſſa poſtulat impellere contendit. Cetera, quæ in ſingulis Orationis partibus ſeruanda ſunt, ex ijs quæ ſupra diximus repetantur. nos ad ſtatum & conſtitutionem cauſſae tranſeamus.

Qui & Quot ſint Status Cap. 30.

STatus eſt, Quæſtio illa præcipua, quæ cauſſam cõtinet, & quo, tamquam ad ſcopum, omnis noſtra Oratio referenda eſt. ea non ſolum in genere Iudiciali, quamquam hic maxime, ſed etiam in laudationibus, & deliberationibus locum habet: & tam in meditandis noſtris, quam in explicandis aliorum Orationibus

nibus ſemper inueſtiganda eſt. Naſcitur autem ſtatus ex intentione Accuſatoris, & depulſione Defenſoris, hoc modo, Craſſe coniuraſti cum Catilina: Non coniuraui inquit: Quæſtio eſt vtrum coniurauerit nec ne. hunc Rhetores ſtatum ſeu conſtitutionem appellant, quia eſt veluti fundamentum Orationis, in quo cauſſa tota conſiſtit. Quoniam vero tria ſunt, quæ in omni diſputatione quæri poſſunt; An ſit, Quid ſit, Quale ſit: tres etiam ſunt ſtatus, Cõiecturalis, Definitiuus, Iuridicialis. in ſtatu Coniecturali quæritur An aliquid factum ſit nec ne: vt, an Pompeius Regnum affectauerit: in Definitiuo, quid ſit id, quod eſt factum, & quo nomine appellari debeat; vt, Fuerit ne Iulius Cæſar Rex, an Tyrannus, an Dictator: In Iuridiciali, quale ſit id, quod arguitur, & iure ne an iniuria factum eſſe videatur: vt, An Cicero recte fecerit, qui coniuratos, indicta cauſſa necari iuſsit: in primo Coniectura valet, in altero Definitio, in tertio Ius & ratio.

De Statu Coniecturali & eius locis Cap. 31.

STatus Coniecturalis eſt, cum factum negatur, ideoq; a nonnullis etiam inficialis appellatur. Eius loci duo ſunt, Voluntas et Facultas. Oportet enim cum accuſamus probare, id quod arguimus, Reum voluiſſe & potuiſſe facere: contra ſi defendimus noluiſſe, ac ſi maxime vellet non potuiſſe. Voluntas con-

continet Impulſionem, Ratiocinationem, Signum, & Perſonarum attributa. Impulſio complectitur omnes animi perturbationes, Iram Odium, Inuidiã, Amorem, Spem perficiendi, ſpem celandi, & quæcũque homines ad aliquid faciendum impellunt. In Ratiocinatione ſpectantur hæc duo, Adeptio bonorum, vt Honoris, voluptatis, vtilitatis: & malorum Euitatio, ut Damni, doloris, infamiæ. Signa tria ſunt, Antecedentia, Comitantia, Conſequentia. Quæ factum antecedunt, exempli cauſſa in homicidio, hæc fere ſunt, Iniuriæ, Contumeliæ, Inimicitiæ: quæ comitantur, Strepitus, clamor, armorum ſonitus: Quae conſequuntur, Veſtis cruentatio, metus, tremor, & plura talia. Perſonarum attributa ſunt, Natio, Patria, Educatio, Vitæ genus, & cetera quae ſuperius expoſita ſunt in genere demonſtratiuo: & hæc de Voluntate. Facultas vero ſpectatur ex adiunctis ei rei, de qua dicimus, circumſtantijs, Loco, tempore, occaſione, commoditate.

De Circumſtantijs Cap. 32.

SEd vſus Circumſtantiarum latiſsime patet, quia non ſolum ad probandum, ſed etiam ad amplificandum, & permouendum conferunt. hæ potiſsimum numerantur ſeptem. *(Quando.*
Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo,
Exempli cauſſa, Quis? Catilina ciuis Romanus, &

amplissimo genere natus. Quid? Atrox facinus, Remp. funditus euertere moliebatur; & clarissimos, atq. optimos viros trucidare. Vbi? Romæ, in Foro, in Curia, in Senatu. Quibus auxilijs? collecta perditorum iuuenũ manu, & præterea barbaris infestisq; nationibus ad consilij societatem euocatis. Cur? ad se diuitijs locupletandum; ad Tyrannidem occupandam, explendamq. animi sui turpem libidinem. Quomodo? dispositis hinc inde sicarijs, descriptisq; totius Vrbis partibus ad incendia. Quando? quo tempore Resp. alijs bellis erat implicata, & bonis ciuibus ut cũ maxime indigebat. Atq. hos omnes locos qui diligẽter animaduerterit nũquam probationum, aut amplificationum inopia laborabit.

De Statu Definitiuo Cap. 33.

SEquitur Coniecturam Definitio: nam qui factũ negare non potest, proximum est, ut neget esse id quod obiicitur ab aduersariis, sed aliud leuius & infirmius, quod per ipsius rei diffinitionem ostendendum est: vt Quidam deprehensus est cum rem profanam ex loco sacro surriperet: accusatur Sacrilegii. ille ita se defendit, vt fateatur se abstulisse, neque tamen sacrilegium fecisse, sed furtum: ideoq. non recuset, quominus quadruplum soluat, ut fures iubentur ex lege; non autem exilio, aut morte multetur, quæ pœna sacrilegis est constituta. Quo loco tam Accusatori, quam Defensori videndum est, quid sit furtum quid sacrilegium, & vtrique sua Definitio argu-

mentis munienda, & verborum ac sententiarum figuris amplificanda.

De Statu Iuridiciali. Cap. 34.

STatus Iuridicialis est, cum factum esse constat, sed quale sit, & iure ne, an iniuria factum sit, quæritur. Vnde etiam status qualitatis appellatur: vt, Si quis fateatur a se hominem esse occisum, sed iure; nimirum quia Insidiator, quia Fur, quia Proditor, & suæ patriæ perniciosus atq. funestus foret. Hæc Constitutio duplex est, Absoluta & Assumptiua: Absoluta est cum probamus aliquid iure esse factum, nihil foris, aut extra caussam assumentes; sed aut ex natura rei, aut ex lege aut ex pacto: ex natura, ut si Pater filium, Magister discipulum, Præfectus puerum sibi creditum verberauerit: Ex lege, vt si quis exsulem interemerit, quem ex edicto Principis liceret occidi. Ex pacto, vt, si cui promiseris te certam pecuniam esse daturum, si tibi in aliqua re operam dederit; Homo nauata opera pecuniam ex pacto repetat. Assumptiua Quæstio dicitur, cum aliunde sumimus argumentum ad probandum, ut si accusetur Milo, quod Clodium interfecerit, non potest se tueri, nec iuste factum defendere: nisi foris assumat aliquid, quod rei aequitatem declaret: Ille, inquit, mihi insidias fecit, & mortem denunciauit; ergo iure hominem interfeci.

De

De Partibus Quæstionis Assumptiuæ. Cap. 35.

QVæstionis assumptiuæ partes sunt octo, Inficiatio, idest præcisa facti negatio, in qua accusatorem redire cogimus ad coniecturas, & probare esse factum id, quod ille assumpserat tamquam certum. Extenuatio, cum conamur culpam facere leuiorem ex definitione, ut Homicidium feci; non Parricidium. Quo modo a quæstione Iuridiciali ad Definitiuam retrahitur aduersarius. Remotio criminis, cũ culpa uel in fortunam reiicitur, uel ad alium quempiam transfertur, ut Non scripsi occupationibus aut ualetudine impeditus; Non veni ad constitutam diem, quia Fluuium repentinis auctum imbribus traiicere non potui; Feci, sed non mea sponte, Consul iussit, aut Prætor aut Senatus. Reiectio siue translatio actionis, temporis, loci aut iudicis, ut Fateor me debere, sed tibi non competit actio. Debeo, sed non hoc tempore, non hoc in loco, non sub hoc Iudice. Comparatio cum de duobus malis minus eligitur, ut Malui hominem occidere, quam pudicitiam amittere. Casus siue imprudentia, ut Intorsi sagittam in feram, & hominem ibi latentem interemi. Vis siue necessitas, ut Vrbem hostibus dedidi, sed fame urgente, uel militibus obstinate prælium detrectantibus. Denique Deprecatio, cum facti venia petitur: quae nõ uenit in iudicium, sed apud Imperatorem aut Princi-

pem sæpe tractatur: ideoque illius caussæ diligenter inuestigandæ sunt.

De Caussis Deprecationis Cap. 36.

INnumerabiles possunt esse caussæ, quamobrem confitenti Reo, & supplicium deprecanti ignoscendum esse videatur. Sed maxime usitatæ atque communes videntur septem, ad quas reliquæ referũtur. Prima, Si Rei plura, aut maiora beneficia, quã maleficia constare videbuntur: Secunda, Si qua uirtus singularis, aut nobilitas in supplice erit: Tertia, Si qua spes ostendatur, eum aliquando vsui futurum: Quarta, si Reus ipse modestus, temperatus, ac misericors in potestatibus probetur fuisse: Quinta, Si non odio, neque crudelitate, sed officio, & studio aliquo commotus, vel ab alio deprauatus, deliquerit: Sexta, Si tali de caussa aliis quoque ante fuerit ignotum: Septima, Si nihil periculi eo dimisso relinqui videatur, nulla denique reprehensio, vel suspicio mali posit existere. Dictio siue figura dicendi cuiusq; generis propria est, Demostratiui, exculta & copiosa, Deliberatiui, grauis & prudens, Iudicialis vehemens & concitata.

Quo pacto genus Orationis inuestigandum sit. Caput. 37.

RARA est Oratio, quæ tota in vno genere cõsumatur: sed pleræq; ex pluribus mixtæ sunt. nam & in iudiciis laudamus, & in deliberationibus accusamus, & in ipsis laudationibus sæpe occurrit aliquid, quod aut redarguendum, aut defendendum sit. sed ad genus cuiusque Caussæ proprium dignoscendum, necesse est animaduertere, quinã sit scopus, atq; consilium ultimum Oratoris, ad quod cetera referũtur. nam finis est, qui Orationi genus & nomen tribuit. Exempli caussa, Ciceronis Oratio pro lege Manilia, quãquã in Pompeii laudibus fere tota uersatur; tamen quia controuersia est de Imperatore deligendo, & Pompeius ideo laudatur, ut iudicetur idoneus ad id bellum administrandum, Oratio est generis deliberatiui. Sic quæ Archiam defendit ab eorũ calumniis, qui eum Ciuem Romanum esse negabant, iudicialis est, licet tam multa de Poeticæ laudibus interiecta contineat. Deniq; illa, qua Cæsari gratias agit pro restituto Marcello, ad demonstratiuum genus referenda est, quamquam inter agendum redarguit ea, quæ Cæsar obiecerat de suo periculo. quæ particula per se sumpta, non est dubium, quin ad genus iudiciale referri debeat. Verum hæc, aliaque his similia quæ ad Artis naturam penitus cognoscendam perti-

nent, vel obscuriora sunt, quam quæ a pueris sine doctore percipi possint; vel clariora, quam quæ ipsis Doctoribus præcipi debeant,

De Dispositione Cap. 38.

DIspositio, seu Distributio rhetorica triplex est: vna partium Orationis, altera Argumentorum, tertia Ratiocinationis, aut syllogismi. Partes Orationis quomodo disponendæ sint, constat ex ijs, quæ ante diximus, vt primus locus detur Exordio, secundus Narrationi, cui sæpe adiuncta est Propositio seu Partitio, tertius Confirmationi, cum qua Confutatio iúgitur, quartus denique Cõclusioni. Quem tamen ordinem non semper retinere debemus, sed pro re, ac loco immutare, modo hanc, modo illam partem omittere, vel de suo loco in alium transferre; modo etiam ex abrupto incipere Orationẽ, de quo nihil fere præcipi potest, sed tota res est prudentis Oratoris iudicio relinquenda. Verum in meditandis ac componendis Orationibus, commodissimum est Exordium ad extremum reseruare, & a Narratione seu Confirmatione initium scribendi facere. Argumenta vero in Cõfirmatione ita disponenda sunt, vt a peritissimo Duce milites instruuntur ad prælium. vt primo loco, quasi in primo agmine, fortissimæ rationes constituãtur; item in extremo sit aliqua ratio firma, & robusta, quæ Auditorem vltimo ictu consodiat; leuiores &

me-

mediocres rationes in mediam aciem conijciantur, nã quæ per se nihil, aut parum prosunt ex firmissimis præsidijs adiutæ, magnum momentum faciũt ad proterendum Aduersarium, atque ad caussam obtinẽdã. Vltimum genus Dispositionis, quod in Argumentationis partibus constituendis adhibetur, explicauimus in Confirmatione. Atq; hæc de Elocutione, Inuentione, Dispositione, præcipuis Rhetoricæ partibus dicta sufficiant: longiorem enim, ac subtiliorem de his rebus disputationem neque fert captus puerilis ætatis, & Introductionis ratio non desiderat.

Memoria quo pacto Exercenda sit Cap. 39.

MEmoria excolendo augetur: sed modus excolẽdi varius, ac multiplex est. nos pauculis præceptionibus contenti erimus, quas, facto periculo, didicimus esse ad recordandum maxime accõmodatas. Primo ad ediscendum commodius est matutinum tẽpus, quam meridianum, aut vespertinum: sed vtile est pridie vesperi priusquam te cubitũ referas, semel aut iterum percurrere ea, quæ postridie mane ediscenda sunt. Solet enim fieri, ut quæ sub ipsum somni tẽpus leguntur, ea mens ipsa cupidius arripiat, fidelius retineat, & melius concoquat per quietem. Deinde secũdo loco, cum facilius ediscantur lecta, quam audita; & scripta, quam lecta, & quæ intelliguntur, quam quæ non intelliguntur: quæcunque pertinent ad Auctores recte percipiendos, vt crebra lectio eaque clara, & distincta, item quorundam locorum descriptio, &

maxime omnium illa vſitata de latino in popularem ſermonem conuerſio, ea etiam ad memoriam vehementer conferunt. Tertio, ſi locus aliquis, aut aliqua ſententia inter ediſcendum difficilius memoriæ mandetur; perutile eſt illi loco ſignum aliquod, aut notulam appingere, cuius admonitu redeas in memoriam illius partis: neque refert cuiuſmodi ſit notula; punctum ipſum, aut tenuis virgula ſatis eſt ad memoriam euocandam. Vtilius tamen eſt, ſi nota nonnullam habeat conuenientiam cum illa re, cuius eſt nota: vt ſi recordaturus aliquid, quod ad pacem ſpectet, oleæ ramum pingas, haſtam ſi ad prælium, anchoram ſi ad nauigationem, raſtrum ſi ad agriculturam. Quarto ad memoriam corroborandam & confirmandam aſſueſcant adoleſcentes quotidie veſpertinis horis cum ſe ex diurno ſtrepitu, atque tumultu in cubiculum receperunt, antequam ſomnum capiant recogitare, ac repetere cum animo quæcunque eo die fecerint, dixerint, legerint, audierint, viderint, cogitauerint, pro vt quæque res altera alteram præceſſerit, aut conſecuta ſit, horarum ſerie, quoad eius fieri poteſt, retexta, & conſeruata; vel ſaltem potiſsimarum diei partium ordine repetito.

De Pronunciatione Cap. 40.

PRonunciatio a natura eſt: tamen iuuatur arte, ſi frequens ac diligens accedat exercitatio. eius præcepta multa ſunt apud multos: nobis vnum aut alterum ſatis erit, in quibus vulgo peccatur ſæpius a iu-

nioribus. Ergo in primis cauendum eſt, ne inter recitandum dictiones imperfecte vel decurtate pronuncientur, præſertim illæ, quæ periodos claudunt, quod vulgare uitium eſt, atque, vt ego arbitror, longe grauiſsimum. cum enim vox homini non aliam ob cauſſam ſit data, quam ut per eam animi ſenſa exprimat, & cum aliis communicet: quod poteſt in dicendo peccatum maius exiſtere, quàm quod obſcurat orationē, & impedit intelligentiam auditorum? ut prope magis laudandi ſint ij, qui ſubruſtice, aut etiam minus latine dicunt, ſi modo adepti ſint eam virtutem, ut dilucide, deſtincteque pronuncient. Ad eam rem mirabiliter confert, ſi pueri initio doceantur elata voce, diſtinctiſque ſingulis dictionibus recitare, & legere. Alterum veró præceptum eſt, vt pro rerum, de quibus agitur, varietate, uaria quoque pronunciandi ratio adhibeatur, & humilia lentius atque ſummiſsius, grādia elatius ac vehementius, mediocria mollius ac tēperatius proferantur; denique omnibus modis fugiatur illa Pronunciationis inimiciſsima Monotonia. Quare præter quotidianas exercitationes habeāt adoleſcentes priuatam aliquam palaeſtram, in qua ſtatis diebus declamitent, & uſu exemploque potius, quam vllis Rhetorum praeceptionibus nitantur. iuuat etiā exerceri quandoque in Comoediis, atque Tragoedijs recitandis: modo accurate, ac diligenter inſtituantur, & corrigātur. Cetera partim naturae uniuſcuiuſque, partim uiuae uoci praecipientium relinquuntur.

Nobilißimis atque ornatissimis Adolescentibus Collegij S. Bernardi Contubernalibus. M. Antonius Synesius S.

HAbetis, Lectissimi Adolescentes, Bonciarij Praeceptoris uestri rhetoricā Introductionē, & mea & Caldori nostri opera, typis excusā quamemēdatissimis: cā ego primū mea volūtate adductus, post etiam vestris precibus incitatus, prope illi extorsi de manibus, atque in lucem edendam curaui. Quare autem uir nostri studiosissimus tātopere repugnauerit, & ad extremū concesserit subinuitus; haec fuit caussa, quā ille postea mihi non tacuit. Nimirum metuebat, ne Introductori suo idem accideret, quod anno ante Guarino accidit, vt ab ijsdem Archimagistris aeque aspere, & inhumaniter acciperetur. Noui statim quid vellet, & quale facinus designaret: quippe qui vobiscum vna illi spectaculo interfueram, in quo miser Grammaticus, diu despectus & ludibrio habitus, vapulauit. Quod ego tamen refelli facile, & talem suspicionem illi ex animo penitus amoui; cum dicerem non huic quoque dicēdi Magistro vt illi puerorum Institutori barbariem obiectari posse: nullum hic verbū insolēs, nullā formā loquēdi non vsitatā, non expolitā: pleraque omnia tū praecepta, tum etiā vocabula ex ipso Cicerone esse deprompta. Quare tantū abest, inquā, vt huic libello quēpiā eo nomine detracturū putē, ut potius mihi persuadeam, exinde nullā super huiuscemodi rebus controuersiā tibi cū istis fore. Satis enim intelligēt ex nouo foetu paullo meliore ac nitidiore, potuisse te, si velles, ac si ex vsu futurū putares, etiā in Grāmaticis idē genus loquēdi vsurpare. & quod ibi vulgarius, atque agrestius loqui malueris, id abs te non ex ignorantia sermonis latini, sed potius de industria esse factū, quia scilicet cū pueris prope infantibus negotiū erat: nūc autē, quia cū illis agitur, qui paullo vltra grāmaticos canonas processerūt, & aliquātū roboris sunt adepti in latina lingua, te quoque rationē docēdi cultiorē, atque vt ita dicā, robustiorē adhibuisse. Quid quaeritis? persuasi homini, vt hunc quasi adiutorē fratri laboranti summitteret: cū eo tamē, vt defensionū loco notulas aliquot intericeret, quae vna opera sui facti rationē redderēt, & obtrectatoribus reprehēdēdi occasionē eriperent. Valete, ac quādo me Bonciario in fratris Marij locum successisse vultis, qui semper aliquid huiusmodi ab eo vobis impetrabat; expectate paucis diebus Commentariolum de ratione contexendae Orationis in vnoquoque genere Caussarum.

M. ANTONII *BONCIARII* AD PETRVM SENSIVM I. V. C.

Epistola

In qua exponitur, quo consilio nobilibus pueris qui apud nos erudiuntur, in nouo Collegio S. Bernardi, conscripta sit Introductio in Artem Rhetoricam.

LEGIT mihi Sensus Sensius frater tuus, auditor meus, particulam litterarum tuarum: in qua multa mihi tribuens, vnum reprehendebas, quod non aliquando emergerem ex hisce studijs puerilibus, in quibus nimium diu versari videor; & darem aliquid, vnde plusculum existimationis, & famæ sperare liceat. Quid vero, inquis, attinuit in tanta Rhetorum multitudine & copia, tum veterum, tum recentium, de Rhetorica librum scribere? Agnosco, Sensi, veterem beneuolentiam erga me tuam: ex qua certum habeo venire istam mei monendi libertatem. cui quantum tribuam, cognosce ex hoc, quod etsi, cum tuas litteras legi, libellus noster, paulo ante datus Typographis, prope sub prælo erat: tamen eousque sustinui editionem, dum a te aliquid ad has litteras rescriberetur. & faciam scilicet, quidquid tu mihi auctor fueris. Nunc, vt reliqua omittam, audi quale fuerit meum consilium de libello Artis Rhetoricæ conscribendo. Ego, Sensi, fui semper in ea opinione, vt artes, & disciplinæ liberales haud aliunde, quam a veteribus

illis magnis Magistris, petenda forent. Itaque quicunque hodie Rhetoricas & Dialecticas arbitratu suo concinnant, easq; relicto Aristotele, Cicerone, Quinctiliano, suis auditoribus explicandas putant; haud dicā equidem nihil illos prodesse (sunt enim ex Neotericis, qui de vtraque facultate satis bona praecepta dant) Verum hoc dico, potuisse illud tempus cum fructu multo vberiore, in antiquorum scriptis collocari. Quod cum ita perspicuum sit apud homines eruditos, vt merito rideatur, si quis rem planissimam argumentis probare contendat: nequeo mirari satis, quare tam multi nostra memoria in illis artibus refingendis, & alia quadam uia docendis sint occupati. Dicet aliquis, Ecquem tu igitur in hoc genere nostratibus hominibus relictum putas scribendi locum? Sane ego pro mea tenuitate neminem contemno, & eum laudo, si quem ferat nostra aetas ingenio excellenti, qui etiam artes conscribat, & non solum de Grammatica, Rhetorica, Dialectica, sed etiam de maioribus disciplinis nouo modo praecepta tradat, si forte faciliorem praecipiendi rationem habeat, quam illi veteres habuere. Sed nescio quo fato fieri videmus, vt qui omnium consensu ad eam rem aptissimi iudicantur, ab isto genere scribendi multum abhorreant: credo, quia fas non putant ab ipsis fontibus ad suos riuulos reuocare curiosam iuuentutem, & vnde ipsi hauserunt, indidem alios etiam velle haurire. Quod si quis non alios disciplinarum fontes aperire conetur, quod fortassis ne fieri quidem potest, sed ad illos ipsos, quos maxime Aristoteles & Cicero aperuerūt, quoquo modo iter expediat, & planum faciat: ei vero gratias agendas censeo, quod melius mereri de studiosis iuuenibus videatur, dum illos in scholas veterum Praeceptorum quasi manu prehensos ducit, iisq; solida, & vbere doctrina imbuendos tradit, quam si in nostros, Deus bone, quanto inferiores, humilioresq; conuentus aut ludulos introduceret. Nunc, ut ad me veniam, Sensi, haud ego quidem scribo Artem Rhetoricam, quam in Scholis loco veterum scriptorum exponi velim: quippe qui, vt supra scripsi, praeter Aristotelem, & Marcum Tullium, ne de veteribus quidem quemquam ita amo, vt eum meis auditoribus explicandum putem: ne me censeas, aut Caesario, aut Sasso, aut Chirio (ne de me loquar, qui nulla re cum illis sum conferendus) tantum tribuere, ut quae ad ornate dicendum pertinent, ea malim ab istis discere, quam a Veteribus, vnde ipsi scilicet didicere: non ego igitur scribo nouam Rhetoricam, ne erres, non; sed tironibus pueris viam munio, & aditum patefacio ad illos vberes, perennesq; tum dicendi, tum scribendi fontes Antiquorum. Videlicet non Artem, sed Introductionem ad Artem scribo. At

ne hac quidem, inquies, Introductione opus fuit: cum Veteres nihil omiserint, quod ad docendam artem spectare videatur. Ausculta paucis, & cognosce rationem consilij mei. Natura comparatum esse intelligimus, ut omnes artes, & disciplinæ, quibus animus informatur, atque perficitur, plurimum habeant difficultatis, atque laboris in perdiscendo. ex quo factum est, ut magna ingenia multum sudarint in facili aliqua, & recta methodo excogitanda, quam qui essent ingressi ad aliquam humanarum, & diuinarum rerum scientiam peruenire possent. Neque illud est dubiū, fuisse quoddam tempus, cum & primo in Græcia, & longo post tempore in Italia, floruere maxima, ac prope diuina ingenia, quæ res antea difficillimas, & magnis tenebris circumfusas, quasi prælata face illustrarunt, & confusam illam multitudinem, atque congeriem rerum quibus humana mens alitur, in certum ordinem, rationemq; præceptionum redegerunt. Verum hoc quidem ad grauiores artes, scientiasq; adipiscendas haud omnino fuit satis. quamquam enim suo quæq; loco disposita, & admirabili quodam ordine distributa, atque distincta artes sunt: tamen difficiliore, atque impeditiore loco sita esse videntur, quam quo tenue nostrum ingenium, haudquaquam cum illorum acumine comparandum, aspirare, atque eniti queat: nisi tamen aliquo modo subleuetur; & in illud quasi Sacrarium doctrinarum ab Aedituo quopiam introducatur. Non longe abieris: Ius ciuile vestrum, quod alioqui laboriosum magis, quam difficile putatur; tamen sine illis Imperatorijs Institutionibus, quas Iustinianus confecit, posse percipi non videtur. Ius etiam Pontificium, quod ante nostram memoriam caruit ea commoditate, non minus facete, quam vere comparabat Io: Paullus Lancelottus eleganti ac superbo Palatio, quod multis ædibus distinctum, atque ornatum esset, præterea omnis generis supellectili instructum, & decoratum; sed fores, aut ianuas non haberet, quæ esset aditus introire cupientibus. itaque aperuit ille fores eiusmodi, per quas nostri æui homines magno agmine ingrediuntur, & abdita penetralia huius facultatis, non magno negotio perscrutantur. Nam quid dicam de Dialectica? de qua cum magnus Aristoteles diligentissime, optimeq; præceperit: tamen cum illa obscurior videretur, adiecit primo Porphyrius libellum suum, vt ita dixerim, introductorium: qui continuo tantam sibi auctoritatem, atque assensum hominum comparauit, vt doctis approbantibus, in familiam Aristotelicam exceptus, & cooptatus cum illis viuat. qui tamen quoniam dumtaxat vocabula quædam explicat, neque artis vniuersæ formam, & quasi Ideam complectitur; idcirco alij alio tempore, & proxime P. Fran-

ciscus

ciscus Toletus nunc S. R. E. Cardinalis, Introductionem illius artis, haud scio breuiorem ne, an faciliorem, commodioremq; conscripsit, cuius mirificam vtilitatem nos etiam, Petre, sensimus, cum in nostra ætate teneriore, post puerilis doctrinæ studia, animum ad Philosophos adiecissemus. Deniq. vt paucis concludam, nulla est ars, neque doctrina paulo grauior, præsertim ex ijs, quibus in adolescentia studendum est, quæ non aliqua huiusmodi præparatione, informatione, Introductione egere videatur. Quod si quis existimat, Artem Rhetoricam non venire in hunc numerum, & esse scilicet faciliorem ad consequendum, quam vt tali præsidio, vel adminiculo munienda sit: longe fallitur mea quidem sententia. Neque est hic locus de Artis Rhetoricæ difficultate disserendi. Illud certe constat inter homines eruditissimos, non fere esse aliam disciplinam, quæ tantum ingenij ad res excogitandas, tantum iudicij ad disponendas, tantum artis ad ornandas, atque amplificandas desideret. Quæ quam non facilia sint, Oratorum paucitas declarat, quorum penuria nunc vt cum maxime laboramus. Ergo non est dubium, quin primo ad artem sua sponte difficilem, atque impeditam, deinde vero ad scriptores, qui de illa subtiliter, & varie præceperunt intelligendos, iudicandosq; opus sit isagogica quadam Institutione. Fuit itaque meũ cõsiliũ, Petre Sensi, vt studiosos Artis Rhetoricæ cõsequẽdæ, primis ijsq; potissimis præceptionibus ante imbuerem; tũ uia facili, & dexpedita deducerem ad scripta veterum Magistrorum, siue ab alijs audienda, siue ab ijs ipsis suo marte interpretanda: Volui scilicet adumbrare Artem Rhetoricam, eiusq; imaginem, rudem illam quidem, sed tamen plenam, suisq; omnibus membris conflatam, proponere ad intuendum: vt postea Tullianis quasi coloribus, et si libeat, etiam Aristotelicis pigmentis, exornaretur atque illustraretur. Sum enim expertus, haud omnino commode, neque cũ magno fructu tractari antiquos Rhetores a iunioribus, nisi primo paulatim hoc fere modo instituantur, et præparentur ad laborem nouum: iuuat autem incredibiliter eos, qui artem aliquam auspicari velint, si totam arte a principio usque ad calcem lustrauerint: ac quasi animo comprehensam, atque dimensam habuerint eam viam, qua sibi postea minoribus itineribus ambulandum sit: alioqui si non ante explorato itinere in viam se dederint; neque cum magna alacritate progredi possunt, neque offerentia sese incommoda satis ferre imparati, inopinantesq; Quod quamquam (spero omnibus planũ, ac perspicuum debere esse) tamen non tantopere affirmarem, nisi periculum fecissem in his ipsis auditoribus, qui triennio ante se ad nostram disci-

pli-

disciplinam contulerunt: ex quibus cum aliquot vno tempore ad Ius ciuile audiendum transierint, in his etiam Iacobus & Sensus fratres tui, qui te duce, atque auspice maiores artes ingressi sunt; non dubito quin progressus, & eruditio liberalium adolescentium huic meo consilio multũ roboris, atque momenti sit allatura. Probaui, opinor, esse opus Introductione tironibus pueris, qui a re Grammatica transituri sunt ad Rhetoricam: quo quidem adminiculo qui non sunt vsi superioribus annis in Vrbe nostra: scimus haud ita multum in studio ornandæ orationis profecisse: quorum ego querelis non semel interfui, cum dicerent, sibi admodũ pueris, Cicerones, aut Aristoteles, aut ijs nihilo faciliores aliquos de nostratibus esse propositos ad ediscendum, quorum ipsi uix millesimam partẽ intelligerent. Vnus omnino scrupulus tibi restat, Sensi, qui mihi euellendus est: cetera tenes perpulchre: mihiq;, vt arbitror, libenter assentis. Erat in illa epistola, quam frater ad me attulit mentio sane honorifica de Cypriano Soario Societatis Iesu. Cuius Rhetoricam non me præterit, in tanto pretio esse apud litteratissimos viros, vt ei sine controuersia palmã tribuant inter omnes, qui post Ciceronem, & Quinctilianum in illo studio laborarunt: quin etiam proxime audiui esse nonnullos, qui bonos, atque vberes commentarios ad illum libellum scribere moliantur: eum tu fortasse satis esse opinaris ad pueros in istam artem introducendos: potuisse me, si uellem, huic labori supersedere, & Cyprianum, vti antea consueueram in Seminario, ita nunc in nouo Collegio explicare. Cui difficultati etsi satisfecisse videri debeo in epistola ad Antistitem, quam huic opusculo præfigendam curaui: tamen tu quoq. hoc tibi responsum habe. Ego quanti faciam Cyprianum, quantumq; ei tribuam: possem sane ostendere pluribus argumentis: sed non necesse est: præsertim apud te, quem scio de hoc Rhetore tam bene existimare, motum præcipue prædicatione, ac testimonio meo. Illud igitur satis esto ad meam de Cypriano sententiam declarandam, quod de tam multis Rhetoribus nostri temporis vnum illum non modo frequenter tracto, sed etiam publice in scholis explico. quin soleo palam ita de eo prædicare, cum lego Cyprianum, non me arbitrari operam dare alicui recenti, ac nouo Rhetori: esse in Cypriano, per quæ illum inter veteres numerandum putem: & vide causam; In præcipiendo haud ille quidem de suo quidquam affert: sed quod in proœmio ipso sui libelli testatur, omnem doctrinam, rationemq; præcipiendi accepit a tribus illis, quos supra memoraui, magnis Magistris, Aristotele, Cicerone, Quinctiliano: a quibus non tantum præceptiones, atque exempla plurima, sed etiam aliquando totas Periodos, atque integra capita in suum libellũ

trans-

transtulit. Neque propterea furtum facere, & alienam laudem sibi vindicare dicendus est: quoniam quidem hoc illi maxime fuit propositum, vt artem optime atque elegantissime traditam a veteribus, sed pluribus, iisq; longis voluminibus explicatam, in angustum redigeret, & quidquid eximium in illis tribus inuenisset, in vnum cogeret, & quantum res pateretur, verba etiam, ipsasq; omnes loquendi formulas vsurparet; denique a quibus ordinem, ac methodum docendi sumpserat, eorum etiam oratione plurimum vteretur. Porro ille maiorem alienæ vtilitatis, quam suæ cuiusdam manis gloriæ rationem sibi habendam esse existimauit: ideoq; nō suum illud opusculum, sed quasi commune trium Veterum videri voluit, quemadmodum inscriptio ipsa satis declarat. Quæ quidem cum ita sint, liquido apparet, tantum abesse, vt Cyprianus Introductionem confecerit, aut omnino conficere voluerit, vt etiam ad illum ipsum intelligendum aliqua introductione opus esse videatur: nisi si quis ita existimat, quæ in M. Tullio subobscura, & difficilia videntur esse, ea postquam a Soario totidē pene verbis translata sunt, continuo plana, facilia, atque illustria esse facta. quod nemo sanus, opinor, dixerit. Manet enim, mihi crede, manet in Cypriano, nisi prouectis admodum adolescentibus explicetur, quibus esse aptissimum semper duxi, primum ea difficultas, quam ex se ars habet; deinde alia, quam eius ratio atq. ordo docendi affert, vt mihi quidem videtur, minime puerilis. Ecce namque in ipso artis limine, cum ab Inuentione prima, & difficillima parte Rhetorices initium docendi faciat, sedecim ipsos locos argumentorum, idest totam Artem Dialecticam, ante ipsi puero cognoscendam proponit. Neque nunc disputo pertineat ne Topica ad rhetoricam Inuentionem, aut quatenus pertineat: Illud summatim dico atq. confirmo, ad libellum de Arte Rhetorica, qui vtique tironibus pueris exponendus sit, non vniuersam Topicen, quæ & amplissima est, & multis difficultatibus implicata, mihi transferendā fuisse, sed eousq attingendam atq. delibandam, dum ei quem instituere cogitamus, quædam quasi silua argumentorum suppeditaretur, ad res cōmunes atq. in medio positas vel cōfirmandas, vel refellendas: nec id quidem dialectica ratione & modo, sed via facili & naturali arbitror fieri debuisse, itaq; feci, aut certe facere sum conatus. Nam quo modo, Deus bone, qui nunc primum prodiit ex Grammaticis, percipere poterit, nō dico illas tam varias, tam dissimiles, tam impeditas rationes argumentorū, sed vocabula ipsa locorum dialecticorum? vt quæ sint Genera, quæ Species, quæ Differentia, Causa, Effecta, Contraria; quid sit Materia, quid Forma; quæ sit ratio definiendi, diuidendi, ratiocinandi, & reliqua generis eiusdem

dem, de quibus integra volumina Veteres conscripserunt, & traduntur in ea facultate, quam Logicam appellamus. qua quidem si velis esse imbutos pueros, qui ad Rhetorem transeunt, non reprehendo, si doceas isto modo Rhetoricam: etiam summe laudo, & probo. tametsi neq. Scriptor ad Herennium, neque Cicero, neq. ipse Aristoteles in praeceptis tradendis de Arte Rhetorica, ullam fere istiusmodi locorum mentionem faciunt. Cic. in Partitionibus tantummodo enumerat non explicat; nempe quia utiles illos Oratori esse putat, necessarios non putat: aut putat quidem, sed commodius esse statuit, illos seorsum tradi; neque duas disciplinas Topicam & Rhetoricam, aliam alia difficiliorem atq. ampliorem in unum confundere oportere. Itaque idem Cicero cum de Rhetorica multos libros edidisset, etiam de Topica librum edidit, qui nunc extat, seiunctus ab Oratorijs. Quod etiam multo ante Aristoteles fecerat, qui Topicorum libros octo composuit: nec usquam miscuit locos dialecticos cũ oratorijs. At Soarius mancam, & deminutam dicit esse Artem Rhetoricam sine Topicis. Quod etsi mihi quidem non videtur, & alios credo esse locos Dialecticos, alios Oratorios, nec utrosq. eodem loco, aut eodem modo tractandos puto: tamen facile patior unumquemque de eo sentire, quod magis libet. unum ego mihi credi postulo, quod didici pluribus experimentis, istam rationem dialecticae Inuentionis minus aptã esse ingenijs puerilibus, praesertim in illa prima ingressione, primoq., ut ita dicam, Vestibulo Eloquentiae. Atque audi obsecro, quam ego rationem inij superioribus annis Rhetoricae interpretandae. Cum enim hanc, de qua dico difficultatem deprehendissem, & a Cypriano nollem discedere, deinceps aliquot annis, non a primo, sed a tertio libro initium exponendi faciebam, ac docui prius quaenam esset ratio exornandae: atque amplificandae orationis: quam quomodo res inuenire, atque disponere oporteret. Quam docendi rationem, longe faciliorem commodioremque in hac ipsa Introductione mihi omnino retinendam putaui. Sed erat in hac librorum permutatione illud incommodi, quod quae tertio libro traduntur de mouendis affectibus, & de ratione amplificationis; ea quoniam ex antedictis in prioribus libris pendebant, ac sibi inuicem respõdebãt, inuerso librorum ordine, nõ facile percipi neque teneri poterant. Quamobrẽ ita demũ existimaui, satius esse ꝑlegere meis auditoribus, vel Scriptorẽ ad Herenniũ, vel Dialogũ de partitione oratoria, vel Oratorẽ ad M. Brutum, vel Aristotelis tres libros ad Theodecten, vel ipsum denique Cyprianum, qui fere totus ex illis constat modo praemitterẽ aliquam huiusmodi Introductionẽ: qua praeeunte, & aditum aperiente, & loca singula

pra-

præmonstrãte, Pueri non plane hospites, in nouam disciplinam reciperentur. Atque ita facio prorsus. Iam triennium est, cum ingressus sum hanc viam docendi meos. neque me pænitet (absit verbo inuidia) quantum profecerim, atque proficiam in dies. Sed ego fortasse nimis multa ad vnã particulam, certe plura, quam mihi initio fuerat constitutum. Quare finem faciã, si prius vnum adiunxero, quod ne hic quidẽ prætereundum fuit, ne quem sua laude fraudarem. Ad hoc opusculum concinnandum, præter Tullium, & veteres, quos in primis sequi decreui, fuerunt mihi maximo adiumento recentes duo Rhetores, Cornelius Valerius in tractanda Inuentione, Simon Verepæus in adornanda Elocutione. A quibus tamen quod dissentiam in plerisque mirari non debes, cum aliud quiddã, vt supra scripsi, fuerit mihi propositum, quam illis fuit. Porro mihi duntaxat cum pueris negotium est, aut cum grandibus etiam, sed imperitis: illi, vel iuuenes erudiunt, qui pluscalum in litteris profecerunt, vel ipsos etiam instituunt præceptores. Vale. Ego & suauissimi fratres tui, tibi & Illustrissimo Principi Cæsari Corneo, communi Domino & Patrono singulari, felicem ac faustũ precamur annum, quẽ ingredimur,

CIↃ. IↃ. XCVI.

ERRATA: QVAE TAMEN A PLERISQ. exemplaribus ante sublata sunt.

Fol. 6. pag. 2. lin. 22. lege Phrasin non Frasin. fol. 17. p. 2. l. 7. Periphrasim non Periphasim. fol. 25. l. 20. Vidi non Vidir. fol. 29. l. 21. coniungens non coniugens. fol. 30. p. 2. l. 1. Milone non Milones. fol. 42. l. 25. causas non causa. fol. 45. l. 21. laesit non laetsi. & p. 2. l. 18. post vocem syllogismo repone, et. fol. 46. l. 2. duobus non duabus. fol. 49. p. 2. l. 1. consultationes non consutationes.

PERVSIAE, Apud Vincentium Columbarium, Andreæ Brixiani Hæredẽ.

FVLVIO ET FEDERICO CORNEIS FRATRIBVS EXCELLENTISS. MARCHIONIS ASCANII FILIIS.

M. Antonius Bonciarius. S. D.

MVLTAE sunt causæ quamobrē, Pueri Illustrissimi hunc & primum & pusillum ingenij mei fœtum vobis donandum putaui: Sed præter ceteras illa me mouit maxime quod eram Auunculis vestris, propter eorum in me merita singularia, tam vehementer obstrictus; vt mei quasi æris alieni si non soluendi, saltem profitendi occasionē toto animo captare debuerim neq; quātum ego opinor, erat alia opportunior, aut vobis accommodatior, quam si Grāmaticos longe principes hoc est puerilis ingenii Formatores vobis & Pueris, & Principibus dedicarem. feci vero eo libentius, quod olim Fuluius Cardinalis Proaui vestri frater, cuius tu natu grandior & nomen refers, & magnitudinem (cum

Deo bene volente) relaturus es; cum me a pu-
ero ſouendum, ornandum, & clariſsimis arti-
um Magiſtris, in his etiam noſtri Sæculi viro
primario M. Antonio Mureto erudiendum de-
diſſet: meum eſſe videbatur, quidquid in opti-
mis diſciplinis eſſem adeptus, eo potiſsimũ re-
ferre, vnde acceperam, & omne meum ſtudi-
um atq; operam ad vos inſtituendos atq; infor-
mandos conferre. hoc autem quia me, nõ igno-
ta vobis fortunæ meæ iniquitas atq; peruerſitas
non ſinit; neceſſe habui hos, vt ita dicam, Vi-
carios Officij mei tradere: quibus tam diu darc-
tis operam, donec, præclare iactis latinæ linguę
fundamentis; ego fortaſſe ſuperſtruẽdo elegan-
tiori ædificio magis in tempore aduenirẽ. De-
cet autem vos, quomodo Nutrices muliercu-
las quæ vos aluerunt paruulos, licet minime in-
genuas, & vobiſcum nulla ratione conferendas
agnoſcitis tamen, & amatis, & fouetis; ita hos
quaſi Alumnos ingenij veſtri, & in præſentia
hilariter benigneq; excipere, & poſtea in ma-
ioribus tam ætatis, quam fortunæ acceſsionibus
defendendos tuendoſq; ſuſcipere. Valete. Ex
Collegio S. Bernardi nuper a magno Præſule
inſtituto: quod per ſe clarum ac nobile vtinam
aliquando conuictu veſtro magnificentius atq;
illuſtrius redderetur.

De

De Nominum Declinationibus

Prima Declinatio.

NOMINATIVO Hic Poeta, il Poeta. Genitiuo huius Poetę, del Poeta. Datiuo huic Poetæ, al Poeta. Accusatiuo hunc Poetam, il Poeta. Vocatiuo o Poeta, o Poeta. Ablatiuo ab hoc Poeta, dal Poeta. Pluraliter nominatiuo hi Poetæ, i Poeti. Genitiuo horum Poetarum, de' Poeti. Datiuo his Poetis, a i Poeti. Accusatiuo hos Poetas, i Poeti. Vocatiuo o Poetæ, o Poeti. Ablatiuo ab his Poetis, da Poeti.

Nominatiuo hæc Musa, la Musa. Genitiuo huius musę, della musa. Datiuo huic musę, alla musa. Accusatiuo hanc musam, la musa. Vocatiuo o musa, o musa. Ablatiuo ab hac musa, dalla musa. Pluraliter nominatiuo hæ musæ, le muse. Genitiuo harum musarum, delle muse. Datiuo his musis, alle muse. Accusatiuo has musas, le muse. Vocatiuo o musæ, o muse. Ablatiuo ab his musis, dalle muse.

Nominatiuo hic & hæc Aduena, l'huomo e la donna forestiere. Genitiuo huius aduenæ, dell'huomo e della donna forestiere. Datiuo huic aduenę, all'huomo & alla donna forestiere. Accusatiuo hunc & hanc aduenam, l'huomo e la donna forestiere. Vocatiuo o aduena, o huomo e donna forestiere. Ablatiuo ab hoc & ab hac aduena, dall'huomo e dalla donna forestiere.

restiere. Pluraliter nominatiuo hi & hæ aduenæ, gli huomini e le dõne forestieri. Genitiuo horum & harum aduenarum, de gli huomini e delle donne forestieri. Datiuo his aduenis, a gli huomini & alle donne forestieri. Accusatiuo hos & has aduenas, gli huomini e le donne forestieri Vocatiuo o aduenę, o huomini e donne forestieri. Ablatiuo ab his aduenis, da gli huomini e dalle donne forestieri.

NOTAE.

Ad hanc declinationem pertinent, Hic Auriga, Turca, Nauta, Pirata, Propheta, Scriba, Bibliopóla, Pharmacopóla, Parricida, Homicida, Catilina, Sylla, Sceuola, Dolabella, Sfortia, Scytha, Persa & alii plura: quæ omnia declinantur vt hic Poeta huius poetæ. Item, hæc Regina, Doctrina, Schola, Ferula, Disciplina & alia prope innumera: quæ declinantur vt hæc Musa musæ. Item, hic & hæc Conuiua, Incola, Indigena, Alienigena, Trojugena, Siluicola, Monticola, Cælicola, Christicola & his similia, quæ communia sunt, & declinantur vt hic & hæc Aduena. Item Græca in as, in es, & in e: quorum quia frequens est vsus etiã apud Latinos; ideo pueris aliquo post interuallo, cũ ad pręcepta syntaxeos ventum erit, proponenda sunt. in as quidem, vt hic Aeneas, Lucas, Matthias, Thomas, Iudas, Tobias, Ananias, Esaias, Hieremias: in es vero vt Hic Anchises, Laertes, Chryses, & patronymica in des, vt Priamides: denique in e, vt Hęc Penelope, Calliope, Circe, Grammatice, Rhetoricę, Dialectice, aliaque cõplura. Quorum omnium

inflexio

inflexio congruit cum latina, toto numero multitudinis: in singulari autem sic declinantur: Hic Thomas mæ mæ mam o ma a ma. Hic Laertes tæ tæ tem o te a te. hæc Grammatice ces cæ cen o ce a ce. Sed hæc feminina flectuntur etiam latino more, vt hæc Grammatica, cæ, hæc Rhetorica, cæ.

INterpretationem italicam non apposuimus extra primam Declinationẽ, quia sumus experti segnes atque ignauos fieri pueros, si nihil ipsis allaborãdum relinquatur, sed singula enucleata & quasi præmansa in os, vt dicitur, ingerantur. Id ipsum fecimus etiam infra in verborum coniugationibus.

Secunda Declinatio.

NOminatiuo hic Dominus. Genitiuo huius Domini. Datiuo huic Domino. Accusatiuo hunc Dominum. Vocatiuo ô Domine. Ablatiuo ab hoc Domino. Pluraliter nominatiuo hi Domini. Genitiuo horum Dominorum. Datiuo his Dominis. Accusatiuo hos Dominos. Vocatiuo o Domini. Ablatiuo ab his Dominis.

NOminatiuo hic Deus. Genitiuo huius Dei. Datiuo huic Deo. Accusatiuo hunc Deum. Vocatiuo o Deus. Ablatiuo ab hoc Deo: Pluraliter nominatiuo hi dei, vel dij. Genitiuo horum deorum, vel deum. Datiuo his deis, vel dijs. Accusatiuo hos deos. Vocatiuo o dei, vel dij. Ablatiuo ab his deis, vel dijs.

Nominatiuo hic Magister, Genitiuo huius Magistri. Datiuo huic Magistro. Accusatiuo hunc Magistrũ. Vocatiuo o Magister. Ablatiuo ab hoc Magistro. Pluraliter nominatiuo hi Magistri. Genitiuo horũ Magistrorum. Datiuo his Magistris. Accusatiuo hos Magistros. Vocatiuo o Magistri. Ablatiuo ab his Magistris.

Nominatiuo hoc Templum. Genitiuo huius templi. Datiuo huic templo. Accusatiuo hoc templum. Vocatiuo o templum: Ablatiuo ab hoc templo. Pluraliter nominatiuo hæc Templa. Genitiuo horũ templorum. Datiuo his templis. Accusatiuo hæc templa. Vocatiuo o templa. Ablatiuo ab his templis.

NOTAE.

Neutrorum tres casus similes in vtroque numero, Nominatiuus, Accusatiuus, Vocatiuus: idq; in omni declinatione. Nomina propria in ius, quorum Genitiuus est per duo ij, Vocatiuum habent per vnum i, vt O Cai, Mari, Flamini, Vincenti, Antoni, Fabrici. Nomina vero appellatiua faciunt vocatiuum in e, vt o Egregie, Vicarie, Notarie, Contrarie, Propitie. Vnum tantummodo nomen appellatiuum mittit Vocatiuum in i, vt hic Filius o Fili: vnum proprium in e, vt hic Pius o Pie. Huius declinationis sũt multa nomina feminina, hęc Laurus, hæc populus, hæc cupressus, hęc pirus, hæc cerasus, aliaq; arborum nomina: item Græca nonnulla, vt hæc Synodus, hæc dipthongus, hæc methodus, hæc

periodus

periodus; quæ omnia declinantur, vt hic Dominus. Ad hæc alia masculina in r, vt Vir viri, puer pueri, presbiter presbiteri, faber fabri, socer soceri, gener generi, coluber colubri, & his similia, in quibus pueri sæpe falluntur, dum ea putant ad tertiam declinationem pertinere.

Tertia Declinatio.

NOminatiuo hic Pater. Genitiuo huius patris. Datiuo huic patri. Accusatiuo hunc patrẽ. Vocatiuo o pater. Ablatiuo ab hoc patre. Pluraliter nominatiuo hi Patres. Genitiuo horum patrũ. Datiuo his patribus. Accusatiuo hos patres. Vocatiuo o patres. Ablatiuo ab his patribus.

NOminatiuo hæc Mater. Genitiuo huius matris. Datiuo huic matri. Accusatiuo hanc matrem. Vocatiuo o mater. Ablatiuo ab hac matre. Pluraliter nominatiuo hæ Matres. Genitiuo harum matrum. Datiuo his matribus. Accusatiuo has matres. Vocatiuo o matres. Ablatiuo ab his matribus.

NOminatiuo hoc Tempus. Genitiuo huius temporis. Datiuo huic tempori. Accusatiuo hoc tempus. Vocatiuo o tempus. Ablatiuo ab hoc tempore. Pluraliter nominatiuo hæc Tempora. Genitiuo horum temporum. Datiuo his temporibus. Accusatiuo hæc tempora. Vocatiuo o tempora. Ablatiuo ab his temporibus.

NOminatiuo hic & hęc Parens, Genitiuo huius parētis. Datiuo huic parenti. Accusatiuo hunc & hanc parentem. Vocatiuo o parens. Ablatiuo ab hoc & ab hac parente. Pluraliter nominatiuo hi & hę Parentes. Genitiuo horum & harum parentum. Datiuo his parentibus. Accusatiuo hos & has parentes. Vocatiuo o parētes. Ablatiuo ab his parētibus.

NOTAE.

NOmina masculina, feminina, & neutra tertiæ declinationis plurima sunt, eaque notissima: communia vero nec multa nec ea satis nota. Ex his vsitatiora sunt, Hic & hæc Virgo, Vates, Sacerdos, Coniux, Bos, Canis, Dux, Princeps, Comes, Marchio, Custos, Puber, Heres, Ciuis, Diues, Pauper. Homo vero non est generis communis: neque enim recte dixeris Hominem bonam aut doctam; sed masculini aut promiscui, quod tam marem quam feminam complectitur; sed nunquam nisi masculine declinatum inuenitur.

Quarta Declinatio.

NOminatiuo hic Iesus. Genitiuo huius Iesu. Datiuo huic Iesu. Accusatiuo hunc Iesum. Vocatiuo o Iesu. Ablatiuo ab hoc Iesu.

NOminatiuo hic Visus. Genitiuo huius visus. Datiuo huic visui. Accusatiuo hunc visum. Vocatiuo o visus. Ablatiuo ab hoc visu. Pluraliter

raliter nominatiuo hi Visus. Genitiuo horum visuum. Datiuo his visibus. Accusatiuo hos visus. Vocatiuo o visus. Ablatiuo ab his visibus.

NOminatiuo hæc Manus. Genitiuo huius manus. Datiuo huic manui. Accusatiuo hanc manum. Vocatiuo o manus. Ablatiuo ab hac manu. Pluraliter nominatiuo hę Manus. Genitiuo harũ manuum. Datiuo his manibus. Accusatiuo has manus. Vocatiuo o manus. Ablatiuo ab his manibus.

NOminatiuo hæc Domus. Genitiuo huius domus, vel domi. Datiuo huic domui. Accusatiuo hanc domum. Vocatiuo o domus Ablatiuo ab hac domo. Pluraliter nominatiuo hæ Domus. Genitiuo harum domorum, vel domuum. Datiuo his domibus. Accusatiuo has domos, vel domus. Vocatiuo o domus. Ablatiuo ab his domibus.

NOminatiuo hoc Cornu. Genitiuo huius cornu. Datiuo huic cornu. Accusatiuo hoc cornu. Vocatiuo o cornu. Ablatiuo ab hoc cornu. Pluraliter nominatiuo hæc Cornua. Genitiuo horum cornuum. Datiuo his cornibus. Accusatiuo hæc cornua. Vocatiuo o cornua. Ablatiuo ab his cornibus.

NOTAE.

NOmina masculina huius declinationis sunt, hic Fructus, Aspectus, Conspectus, Gradus, Gressus, Casus, Lacus, Sensus, Auditus, Gustus, Olfactus, Tactus, Senatus, Magistratus, Presbiteratus,

tus, Cardinalatus, Pontificatus. Feminina autem, hæc Anus, hæc Socrus, hęc Nurus, hæc Colus, hæc Ficus, hęc Pinus, hæc Quercus. Neutra vero, hoc Genu, Gelu, Veru, Tonitru.

Quinta Declinatio.

N*ominatiuo hic vel hæc Dies. Genitiuo huius diei. Datiuo huic diei. Accusatiuo hunc vel hanc diem. Vocatiuo o dies. Ablatiuo ab hoc vel ab hac die. Pluraliter nominatiuo hi Dies. Genitiuo horum dierum. Datiuo his diebus. Accusatiuo hos dies. Vocatiuo o dies. Ablatiuo ab his diebus.*

N*ominatiuo hæc Res. Genitiuo huius rei. Datiuo huic rei. Accusatiuo hanc rem. Vocatiuo o res. Ablatiuo ab hac re: Pluraliter nominatiuo hę Res. Genitiuo harum rerum. Datiuo his rebus. Accusatiuo has res. Vocatiuo o res. Ablatiuo ab his rebus.*

N*ominatiuo hæc Respublica. Genitiuo huius reipublicæ. Datiuo huic reipublicæ. Accusatiuo hanc rempublicam. Vocatiuo o respublica. Ablatiuo ab hac republica: Pluraliter nominatiuo hæ respublicæ. Genitiuo harum rerumpublicarum. Datiuo his rebuspublicis. Accusatiuo has respublicas. Vocatiuo o respublicæ. Ablatiuo ab his rebuspublicis.*

Nomina-

Nominatiuo Bonus bona bonum. Genitiuo boni bonæ boni. Datiuo bono bonæ bono. Accusatiuo bonum bonam bonum. Vocatiuo o bone o bona o bonum. Ablatiuo a bono bona bono. Pluraliter nominatiuo Boni bonæ bona. Genitiuo bonorum bonarum bonorum. Datiuo bonis. Accusatiuo bonos bonas bona. Vocatiuo o boni o bonæ o bona. Ablatiuo a bonis.

Nominatiuo hic & hęc Omnis, & hoc omne. Genitiuo huius omnis. Datiuo huic omni. Accusatiuo hunc & hanc omnem, & hoc omne. Vocatiuo o omnis & o omne. Ablatiuo ab hoc & ab hac & ab hoc omni. Pluraliter nominatiuo hi & hę Omnes, & hæc omnia. Genitiuo horum & harum & horum omnium. Datiuo his omnibus. Accusatiuo hos & has omnes, & hæc omnia. Vocatiuo o omnes & o omnia. Ablatiuo ab his omnibus.

Nominatiuo hic & hęc & hoc Felix. Genitiuo huius felicis. Datiuo huic felici. Accusatiuo hunc & hanc felicem, & hoc felix. Vocatiuo o felix: Ablatiuo ab hoc & ab hac & ab hoc felice, vel felici. Pluraliter nominatiuo hi & hę Felices, & hæc felicia. Genitiuo horum & harum & horum felicium. Datiuo his felicibus. Accusatiuo hos & has felices, & hæc felicia. Vocatiuo o felices, & o felicia. Ablatiuo ab his felicibus.

Nominatiuo hic & hæc Pulchrior, & hoc pulchrius. Genitiuo huius pulchrioris. Datiuo huic pulchriori. Accusatiuo hunc & hanc pulchriorem, & hoc pulchrius. Vocatiuo o pulchrior, &

or, & o pulchrius. Ablatiuo ab hoc & ab hac & ab hoc pulchriore, vel pulchriori. Pluraliter nominatiuo hi & hæ Pulchriores, & hæc pulchriora. Genitiuo horum & harum & horum pulchriorum. Datiuo his pulchrioribus. Accusatiuo hos & has pulchriores, & hæc pulchriora. Vocatiuo o pulchriores, & o pulchriora. Ablatiuo ab his pulchrioribus.

NOminatiuo hic & hæc & hoc Legens. Genitiuo huius legentis. Datiuo huic legenti. Accusatiuo hunc & hanc legētem, & hoc legens. Vocatiuo o legens. Ablatiuo ab hoc & ab hac & ab hoc legente vel legenti. Pluraliter nominatiuo hi & hæ Legentes, & hæc legentia. Genitiuo horum & harum & horum legentium vel legentum. Datiuo his legentibus. Accusatiuo hos & has legentes, & hæc legentia. Vocatiuo o legentes & o legentia. Ablatiuo ab his legentibus.

NOTAE.

NOmina adiectiua & participia, quæ per tres diuersas voces declinantur sine articulis, pertinent partim ad primam, partim ad secundam declinationem: quia bonus & pulcher declinantur, vt hic Dominus & hic Magister; bona & pulchra, vt hæc Musa, bonum & pulchrum, vt hoc Templum: alia vero omnia sunt tertiæ declinationis eaque omnibus in promptu, præter ea, quæ flectuntur per tres articulos & vnam vocem, vt hic & hęc & hoc Fallax, minax, pertinax, velox, ferox, vetus, seu veter, recens, ingens, expers, particeps, simplex, duplex, triplex, multiplex, audax, elegans, par, impar,

prudens,

prudens, amans, docens, legens &c. Adiectiua duarum vocum faciunt Ablatiuum singularem semper in i, vt ab hoc forti, dulci, vtili, nobili: alia vero etiam in e, sed raro, vt prudente, imprudente. Comparatiua & Participia in e, vel in i formant Ablatiuum, vt breuiore vel breuiori, currente, vel currenti: sed illa sępius in e, hæc fere nunquam in i. Genitiuus pluralis in tum, vt prudentum, sapientum, rarus est apud Oratores, sed Poetis frequentissimus. Ad hæc paucissima sunt adiectiua trium vocum, & totidem articulorum, vt Hic acèr, hæc acris & hoc acre. quæ declinãtur per omnes casus, vt Hic & hæc omnis, & hoc omne.

Admonitio de vsu, & interpretatione Subiunctiui.

SVbiunctiuo conuenit alia quædam interpretatio in vulgari lingua, per vocem Gerundij aut Participij, hoc modo: Cum amem, aut Cum amarem. Amãdo io, ouero Per amar'io: ames aut amares, amando tu: amet aut amaret, amando quello &c. Sed quãdo, aut pręsenti, aut præterito imperfecto vtendum sit in Gerundio exponendo: cognoscetur ex verbo, quod Gerundio erit adiũctum. Nam si verbum illud erit temporis pręsentis, aut futuri, aut imperfecti Subiũctiui; expositio Gerundij fiet per vocem præsentis hoc pacto; leggẽdo io tu scriui o scriuerai o scriuerešti; cum ego legam, tu scribis aut scribes aut scriberes. Quod si idem verbum erit temporis imperfecti, aut perfecti aut plusquam perfecti;

expositio

expositio Gerundij fiet per vocem imperfecti hoc pacto, leggendo io tu scriueui o scriuesti o haueui scritto o haueresti scritto; Cum ego legerem, tu scribebas aut scripsisti aut scripseras aut scripsisses. Sed præteritum perfectum duplex est, Propinquum & Remotum: hoc nostrate lingua exprimitur per vnam vocem, Veni Vidi Vinsi, illud per duas, son venuto ho veduto ho vinto. Ergo cum præterito valde remoto, Participium semper exponitur per vocē imperfecti. cum propinquo autem, sæpius per vocem præsentis: vt, studiando io giorno e notte, mi ammalai: Cū diu noctuque studerem, incidi in morbum. Leggendo spesso Cicerone ho imparato la lingua Latina. Cum sæpè legam Ciceronem, didici linguam Latinam. Strapazzando tu gli studi, ho pensato di mandarti a qualche arte mecanica: Cum studia negligēter tractes, putaui te ad sedentarias artes trasmittendum esse. Cum amauerim, & Cum amauissem; Hauendo io amato, o vero Per hauer io amato: amaueris aut amauisses; hauendo tu amato, ouero, per hauer tu amato &c. Atque hic quoque quandó aut Perfecto aut plusquam perfecto vtendum sit in exponendo Participio; facile est intelligere ex ijs, quæ supra scripsimus: vt, Hauendo io letto vn pezzo, volentieri mi riposo, o mi riposerò, o mi riposerei: Cum diu legerim, libenter quiesco, aut quiescā, aut quiescerem. Item Hauendo io letto vn pezzo, volentieri mi riposaua, o mi riposai, o mi sarei riposato: Cū diu legissem, libenter quiescebam, aut quieui, aut quieuissem. Passiua quoque aliam interpretationem admittunt, cuius vsus & discrimen eadem ratione dignoscitur: itaque nuda subijcere exempla

satis

ſatis eſt. Cum amer aut cũ amarer; Eſſendo io amato, ouero Per eſſere io amato: ameris aut amareris; eſſendo tu amato &c. Cum amatus ſim vel fuerim, aut Cum amatus eſſem vel fuiſſem; Eſſendo io ſtato amato, ouero Per eſſer io ſtato amato: ſis vel fueris, aut eſſes vel fuiſſes; eſſendo tu ſtato amato, ouero Per eſſer tu ſtato amato &c. Vt, eſſendo honorati gli huomini dotti, ouero Per eſſer honorati gl'huomini dotti, volentieri attendo, attenderò, attenderei, & ho atteſo queſt'anno alle lettere: Cum honorentur viri docti, libenter colo, colam, colerem, & colui hoc anno litteras. Eſſendo honorati gli huomini dotti, io volentieri attendeua, & atteſi in mia giouentù alle lettere: Cum honorarentur viri docti, libenter colebam & colui litteras adoleſcens. Eſſendo ſtati honorati gli huomini dotti, ouero Per eſſere ſtati honorati gli huomini dotti, io volentieri attendo, attenderò, attenderei, & ho atteſo queſto inuerno alle lettere: Cum honorati ſint uiri docti, libenter colo, colam, colerem, & hac hyeme colui litteras. Eſſendo ſtati vituperati ſempre gli ignoranti, ouero Per eſſere in ogni tempo ſtati vituperati gli ignoranti; io cercaua & cercai molti anni ſono la ſapienza: Cum improbati eſſent omni tempore homines imperiti, quærebam & ante multos annos quęſiui ſapientiam. Atque hoc diſcrimẽ in reliquis coniugationibus eadem ratione obſeruare facile eſt.

De Verborum Coniugationibus.

Prima Coniugatio.

INdicatiuo modo tempore pręſenti, ego Amo, io amo, tu amas, tu ami, ille amat, quello ama:

